

Fe. 69.

18, 37.

Blank manuscript page with faint bleed-through text from the reverse side.



1672. 11. Octob.

PETRI BRIS

SOTI, DOCTORIS PARISIEN-
sis medici philosophiq; prestantissimi apo-
logetica disceptatio, qua docetur,
per quæ loca sanguis mitti
debeat in uiscerum in-
flammationibus,
presertim in
pleuriti-
de.

Scriver' de To' burgogri' -

BASILEAE. IN AEDIBVS
THOMAE VVOLFFII.

AN. M. D. XXIX.



RELIBRIS

1071. DOCTOIR. PARISIENS.

Presidit...

Legens...

Per...

...

...

KÖN. PR. FR.
UNIVERS.
ZVHALLE

THOMAS VOLFF
...

...



SERENISSIMO, SACRATISSI-
 MOQUE PRINCIPI ALFONSO,
 CARDINALI LVSITANIAE, AN-
 TONIUS LVCEVS EBO-
 RENSIS PERPETVA
 AM FELICITA-
 TEM EXO-
 PTAT.



CIO NON DEFV-
 turos quamplures, qui pri-
 ma fronte temeritati hoc
 ascribēt, quod iuuenis ego,
 & nullius penē nominis,
 ausus fuerim, tibi principi,
 præsulique illustrissimo, mu-
 nusculum hoc offerre, nec meum quidem, nec tuis
 aptum studijs. Quos omnes (uelint nolint) boni
 hoc consulere oportebit, modo intellexerint, quan-
 tum tibi non solum pater meus (domesticus tuus)
 uerum & ipse ego debeam. Nam cum tu ob singu-
 larem tibiq; peculiarem magnanimitatē, dum felix
 adhuc puericiæ annos ageres, me munere ame-
 plissimo donari iusseris, patremq; meū (vt interim
 ingentem annuam mercedem sileam) quotidianis
 beneficijs ornes, augeas, beatumq; reddas, merito
 ambo ingratitude criminis accusaremur, nisi to-
 tis ner-


A 2 tis ner-

eis nervis, perpetuoq; niteremur aliquid moliri,
quod tuæ celsitudini gratum fore speraremus, id
quod & reliqui omnes, qui te nouere, uel ex ingen-
ti spe, quam ab ineunte ætate de te conceperunt,
gloriantantum, splendoreq; nominis tui allecti,
assequi concupiunt. Igitur cum nō ignorarem, pa-
trem meum tunc sibi maxime placere, cum quic-
quam fecit aut excogitauit, quod ex animo tuo fu-
turum speraret, ego, ne ab ipsius optimo & insti-
tuto & præcepto discederem, cogitavi diu mecum
quidnam esset, quod tuæ altitudini ex hoc bonar-
um literarum imperio offerre possem, quod &
tanto principi deberetur, & tenuium uirium mea-
rum facultatem minime excelleret. Cumq; nihil in
præsentia huiusmodi haberem, quod ex incude (ut
aiunt) mea proficisceretur, curavi ut in commu-
nem omnium salutem, tibiq; dicata exiret in lu-
cem Apologetica hæc disceptatio Petri Brissoti,
medici philosophiq; clarissimi, ac supra omnem
ingenij aleam positi, quam ipse perfectiorem lima-
toremq; inuictissimo regi nostro Ioanni fratri tuo
dedicare statuerat, nisi nobis fato immaturaq; mor-
te ereptus fuisset. Hoc igitur qualecunq; munus,
quod tuæ altitudini mittere non sum ueritus, prin-
ceps atq; præsul serenissime, suscipere dignaberis,
ea fronte atq; animo quo ferunt Alexandrum ma-
gnum aquam à manibus cuiusdam oblatam susce-
pisse,

pisse, quem te non solum animi magnitudine &
prospero rerum successu æquaturum, uerum & fa-
cile superaturum speramus. Quare Deum Opti-
Maximū precor ut te nobis diu superstitem ser-
uet. Vale. Romanæ ecclesiæ ornamentum.

Ex Lutetia Parisiorum, Calen-
dis Iunij. Anno Christianæ
salutis. M. D. XXV.

ANTONIUS LUCEVS LVSI-
TANVS EBORENSIS
LECTORI. S.

 **N**E QUID TE INTER-
turbet, candidè lector, noua subinde
orationis facies, res ipsa à tali quodã
est inducta exordio. Agebat peregre
apud nostrates Petrus Brissotus solertissimus na-
turæ indagator, eo forte tempore quo cū alia mor-
borum genera plurima, tum uero maxime pleuri-
tis gentem nostrã sic male haberet. Hic ad Brisso-
tum (vt ad nouos ferè & aduenas assolet) agmi-
natim salutis gratia concurritur, is ita ut ab Hip-
pocrate, & Galeno didicerat, & iam ante re ipsa
doctus cognouerat, quoties usus ueniebat, phlebo-
tomen in brachio lateris affecti præcepit, ut doctè
ita & feliciter. Nouū hoc curationis genus anim-

A 3 aduer=

aduertens quidam magni apud nostrates nominis
medicus, qui quod non didicisset satis consultum
ratus, hominē suae inscitiae admonere statuit. Epi-
stolam igitur quae uel mediocre uolumen equa-
ret, ad Brissotum mittit, qua illum dehortatur, ne
temere cum magno egrotantium periculo sibi uni-
nimis fidat, quotquot ante eum medicinam sunt
professi, in parte laboranti aduersa sanguinis mis-
sionem cōsuluisse, idq; adeo Auicenna praecipuae,
Hippocrate, Galeno, ac omni antiquitate, necdum
experientia magistra, peruincere pertinaciter con-
tendit. Contra sentit Brissotus, duobusq; ultimis
authoribus, quod sentit, persuadet, ac uelut hostē
suo gladio conficit. Primum autem aduersarij sen-
tentiam ex epistola illa apologetica, uerbatim de-
scriptam, suis rationibus praescribit, hanc ipse mox
qualis sit, expendit, admissim exigit, atq; con-
uellit. Sic prorsus ut eam constare non posse, ipse
suis iudicaturus, quisquis nō alieno in auctorē ani-
mo lectores futurus. Sed quo commodius dispu-
tatio ipsa explicetur, ex aduersarij ascri-
ptis uerbis, ita nascetur
exordium.

Apologia

APOLOGIA PETRI BRISSOTI
MEDICI, CONTRA QVENDAM
SVPER DETRACTIONE
SANGVINIS.



NIL ARBITRARIIS
incōsultius, egregie doctor,
quàm in medicina, quæ ad
salutem hominum tuendam
reperta fuit, à uia cōmuni,
præsertim ratione & expe-
rimento fulta, secedere. Er-
go nil arbitrare in medicina inconsultius, quàm
Auicennam & alios Arabes, qui à uia ueteribus
communi, præsertim ratione & quotidiano expe-
rimento Hippocratis & Galeni, ut ipsi testantur,
fulta, recesserunt, Ego contra, nil arbitror incon-
sultius, nil crudito & bono uiro minus dignum,
quàm inconditæ multitudinis opinionem homi-
num saluti perniciosam, nulla experientia, sed le-
ui tantum suspitione nixam, sequi, contra saluta-
rem doctissimorum expertissimorumq; , & anti-
quissimorum medicorum sententiam, euiden-
tem rationem, & experientiam, præsertim quam
à præceptoribus usu confirmatam per manus ac-
ceperis, et frequenter feliciterq; usurpaueris, ægris
ecleriter liberatis à grauiore ægritudine, quàm
A 4 qua alij

qua alij laborantes & diuersa ratione curati ple-
riq; interierunt, pauci uiribus exhaustis, toties de
tracto sanguine uix tandem trigesimo die, aut tar-
dius euaserunt, prioribus septimo die, aut antea,
ferè omnibus liberatis, interdum ilico post detrac-
tum sanguinem, idq; non raro, sed frequentius
tertio aut quinto die. Nam cū in alijs artibus, quæ
in solam contemplationem referuntur, turpe sit uel
inanis gloriæ studio, uel metu famæ, ueritatem uio-
lare, a deo ut summi uiri interdum non solum præ-
ceptorum dicta repræhenderint, sed ipsi palinodi-
am cecinerint, plus ueritati quàm uel sibi, uel ami-
citiæ deferentes, id certe in medicina flagitiosum
erit, in qua agendorū occasio, præceptis, angustissi-
maq; est, ob materiæ quam tractat, nobilitatem
atq; fluxum, adeo ut ille dextre agere censeatur,
qui naufragijs aliorum edoctus, à Scylla & Ca-
rybdi quàm longissime effugit. Neq; enim sicuti
in lignis & corijs, si male tractando defluxeris,
leuis iactura est, sic in homine, cum mala experi-
entia ad totius animalis interitum terminetur. Er-
go colende doctè, te oratum uelim (si quis adhuc
est consilio locus, quod nescio an sperare debeam)
ne te hac suspitione inuoluas, ut uel meliora igno-
res, uel sponte sequaris deteriora, id Maronis imi-
tatus. Tu ne cede malis, sed contra audentior ito.
Hoc uirtutis opus. Neq; te moueat rudis usus à ra-
tione alienus, & communi errore introductus, ne
dum

dum multitudini placere studes, multorum uitam
perdas, neq; enim satis iusta est occasio ad delin-
quendum, cum multis errare. Quod & Galenus
annotauit secundo de arte curatiua ad Glauconē.
Quam uero bruta & curatu difficilis res sit com-
munis consuetudo eorum, qui cum rudes sint, ali-
quid ex ratiocinando accipiunt, ipse Galenus nos
admonet libro therapeutice tridecimo, his uerbis.
Reliqui uero methodici cum innumeros quotidie
iugulent, adeo rationem curandi mutare adhuc no-
lunt, ut quæ à medicis sunt scripta qui artis operi-
bus uere insudarunt, ne uel semel experiri uelint,
adeo indelebile uitium uehemens ignorantia est,
præsertim si cum superbia sit coniuncta. Nobis au-
tem uitandi eiusmodi errores sunt. At si nihil ali-
ud suppetat, saltem ipsi experientiæ credendū, id
qd' ego ipse perpetuo suadere nō desino ijs qui cir-
ca rationē parū sunt exercitati, nā melius profecto
ijs est, quādo & rudes sunt, & simul in rationabi-
li methodo, quā nūc nos prodimus minime exerci-
tati, ut nihil penitus ex ratiocinādo accipiāt. Ha-
cenus Gale. Sed de te nihil eiusmodi suspicari li-
cet, q̄ in rationali methodo es adeo exercitatus, ut
nobis suadere audeas, ne experientiæ credamus.
Vnū de me tibi psuasum esse uelim, qd' si cōclusio-
nes tuæ postulate, et authoritates ulla ex parte me
mouissent, auidius secutus fuissē q̄ me admonuer-
ris. Vale.

A S Discepi

DISCEPTATIO.



IGITUR MOVES QVAE
stionem, An in pleuritide, inter ini-
tia, sanguis ex aduersa parte sit de-
trahendus, ut latere dextro affecto,
mittendus sit inter initia ex brachio sinistro, pri-
mum ponis quaedam notatu digniora, secundo in-
fers conclusiones.

¶ Primum notandum, humoribus ad aliquam
partem defluentibus præter naturam, oportet me-
dicum obsistere. Hæc si recte intelligatur, prima
indicatio est, ad quam ostendendam citas testimo-
nia non necessaria in re euidenti, & eandem cum
putes esse communem animi conceptionem, nite-
ris tamen ratione ostendere, & solem face illu-
strare, sed sic agendum est cum his & ab his qui
nec logicam nec mathematicas didicerunt, qui neq;
norunt quid sit prius aut posterius, neq; ponunt
discrimen inter uerisimile & euidens, inter propo-
sitionem dialecticam & demonstratiuam, qui cuius-
libet scriptoris auctoritatem pro euidentiissima
dignitate habent. Ergo si intelligas obsistendum
esse ne ulli humores ad eam partem perueniant,
ualde simplex esset hæc interpretatio, non enim
oportet illam partem legitimo alimento priuari,
ne in sales Martialis incidas. Hostes dum fugeret,
sciant

se Fannius ipse peremit. Si intelligas obsistendum
esse ne humores influant præter naturam, hoc qua
dam tenus uerum est, quadam tenus etiam falsum,
Nam cum omnes huiusmodi expulsiones à natura
fiant, sed à causa præter naturam irritata, si om
nes præter naturam appelles, & omnibus obsisten
dum putares, non leuiter errares. Nam & alui
profluvia decretoria, & uomitiones, & urine, &
sudores, & sanguinis fluores uel per nares, uel
per mariscas, uel ex utero, & mutilatorum sangui
nis deiectiones, per certos circuitus repetentes,
cohibendæ essent, in quibus natura multitudine,
uel praua qualitate humorum grauata, sese com
mode exonerat. Sed hæc non ualde solent à medi
cis appellari præter naturã, neq; te ita intellexisse
puto. Si uero præter naturam defluxiones dicas,
quæcumq; morbi alicuius efficiendi uim habent,
& id quoq; non solum erit falsum, quamuis ratio
quam subiecisti, aperte doceat te ita accepisse, ue
rum tu tibi ipse repugnabis, qui certe prohibes hu
iusmodi defluxiones impediri, & in collectioni
bus quæ decretoriæ contingunt, & in carbunai
lis, & ubi à principe aliqua parte excretio fit ad
partem ignobilem, ut ad glandulas quas adenas
uocant. Demum si intelligas, humoribus ad ali
quam partem decurrentibus, & in ea morbum
efficientibus, nulla præsentē cōtraria indicatione
impediente,

Impediente, quod oporteat medicū huiusmodi de-
fluxioni obsistere, id & nos concedimus, & pri-
mam indicationem hanc esse atq; communem ani-
mi conceptionem, non minus mihi quā tibi uti-
lem asseueramus. Rursum & ubi contrariæ indi-
cationes adsunt, quarum altera defluxionem im-
pediri præcipit, altera uetat, grauiori succurrendū
est, non neglecta minore, quo ad fieri potest, nisi
admodum leuis fuerit, & quatenus nō repugnāt,
utriq; est concedendum. Hinc decretorij abscessus
in parte ignobili qui sine periculo sunt, & agrū à
grauiissimo periculo uindicant, nequaquam sunt
impediendi. Contra uero, ubi humores cum gra-
uissimo periculo ad aliquam partem uergunt, aliò
tamen uerti sine ullo periculo possunt, factò leui
morbo, ut uulnere in uena, tantum abest ne leuio-
rem morbum impediamus, ut eundem nostra ma-
nu efficiamus. Vbi uero indicationes contrariæ ex
æquo possunt, præstat nil moliri, curatione naturæ
permissa, quā naturam affligere, & eius ordine
interturbato æqualem morbum relinquere, iam à
medico afflictā. Hæc omnia cum sint euidentissimā,
non duxi alicuius auctoritate esse confirman-
da, & certe qui nescit cōtrarias indicationes mor-
bo curando coire, is non solum nullum morbum
arte curauit, sed neq; medicinam uel à limine sa-
lutauit. Quæ tamen indicationes sint ualentiores,
& quæ

¶ quæ minores, non adeo facile est definire. Nam cum de rerum indicantium natura essentiæ accipiantur indicationes, partim ab eius naturæ specie, partim ab eiusdem magnitudine, sola est magnitudo, quæ neq; scribi, neq; sermone explicari exquire possit. Ergo ubi indicationes inter se repugnant, in eiusdem morbi curatione, recurrendum est ad ea quæ priuatim de eo morbo uel sumus experti, uel ab alijs scripta atq; experta accepimus, tantisper dum nos ipsi experiamur, sed hæc paulo obscuriora sunt, ignorantibus methodum. Ad rem redeamus, ¶ tandem dicantur humores præter naturam ad aliquam partem decurrere, quoniam tamen tametsi contrariæ sint indicationes, quarum altera, grauior uidelicet, defluxioni occurrere præcipit, altera minor prohibet, grauiore tamen periculo defluant ¶ minori coërceri possint, ut idem sit præter naturam quod incommode, hoc etiam modo uerum erit postulatum, ¶ dicentur fluere humores secundum naturam uel incommode, quoniam neq; cohiberi, neq; aliò uerti eadem securitate possunt, ¶ ille fluxus periculo uacat. ¶ Ergo ex hoc postulato duo faciemus, quæ ¶ uera sint ¶ explicata, ¶ non minus mihi quàm tibi utilia. Quorum primum sit.

Humoribus ad aliquam partem defluentibus, ¶ eo fluxu morbū efficientibus, nulla alia præsentem
cōtrariæ

contraria indicatione, oportet medicum obsistere.

Secundum.

Humoribus ad aliquam partem defluentibus,
& eo fluxu morbum efficientibus, unde plus per-
riculi immineat quàm quo coërceri possint, oportet
medicum obsistere, efficientes morbum intelli-
go, & augentes, & effecturos. Si hoc modo postu-
las, belle inter nos cōuenit, sin minus, scito me his
particionibus assuetum, neq; indeterminatam pro-
positionem recepturum, neq; oculis clausis pugna-
turum Andabatarū more. Et ut tibi dem plus quā
postules, affirmo humoribus ad costarum mem-
branam defluentibus, & eo fluxu pleuritidem effi-
cientibus, medico obsistendum esse, & minore pe-
riculo coërceri posse nisi morbo deplorato, neq; id
solum concedo, sed citissime illud peragendum
esse contendo, propter morbi magnitudinē, quod
à te sponte dari postulo. Obsistendum fluxui di-
co, non ne humores ulli ad locum dolentem perue-
niant, sed ne uiciosi, aut copiosiores, quàm quibus
partes illæ tenuiter refici possint. Nunc secundum
notatum disautiamus.

Secundo loco à te notatum,

Diuersio ad partem longinquam fieri debet.

Tertio loco notatum,

Fluente materia, oportet ipsam ad contraria loca
diuertere.

Quarto

Quarto loco notatum

In apostemate quando fit, oportet habere intentionem ad partem materiae quae fluit, & quae iam fluxa est, & quae parata est fluere.

Iterum in horum probatione in pristinum uicium relaberis, nec fungeris medici rationalis officio, eiusdem enim inscitiae est, & dignitates uelle ratione confirmare, & non bene comperta pro euidentibus afferre, etiam si uera sint, neque enim pro te stat quo minus falsa pro ueris adducas. Oportuit autem hominem in ratione differendi exercitatum, praesertim qui in scriptorum controuersis uult aliorum facta euidenti ratione arguere, primum descripsisse quidnam sit diuersio, deinceps quam ob rem ad longinqua fieri oporteat, & ad contraria, & inter initia morbi, fluente uel materia, rationem euidentem reddere, demum ostendere grauissimos authores ita sensisse. Tu solum citas aliorum testimonia, sed praesertim Galeni, Auerroem hac in re imitatus, qui nititur ostendere Galenum, ubi priuatim agit de morbis, per quae loca mitti sanguis debeat in uiscerum inflammationibus, contraria scripsisse, quam in contemplationibus uniuersalibus, quorum argumentorum summa haec est, rectitudo, & contrarietas. Sed & tu & ille intellexisse debuistis, in morborum minime simplicium curatione.

nō unā

non unam esse indicationem, sed plures semper,
plerumq; etiam repugnantes, in quibus idem con-
tingere quod & in staterum ponderibus, nempe,
ut vis maior minorem repugnantem trahat, &
(quod in re simili admonet Aristoteles) sermones
uniuersales esse magis apparentes, sed particula-
res magis necessarios. Itaq; hanc solam prouinciã
mihi committis, ut eadem in Galenum commenta-
rios, simulq; doceam à te perperam intelligi. Ve-
rum ut paulisper in re proposita ludamus, uerã
sint hæc omnia postulata, nam & à Galeno (præ-
ter ultimum) scripta sunt, quamuis cum incipiunt
esse tua, simul incipiunt esse falsa, sint tamen ut-
cunq; uera, uolumus enim esse liberales. Age, pro-
cede, & caue cadas, ut dici solet, ab asello. Dici-
to, si es exercitatus in corporum dissectionibus, la-
tere dextro flegmonem patiente, quæ distantia ma-
ior est, uel ad cubitum dextrum, uel ad sinistrum?
Certe par. Nam cum uena caua una sit ac simplex
per totũ thoracem, hoc est à collo ad crura, ab hac,
tanquã à caudice, aliæ uelut rami oriuntur, di-
uariantur autem, inferne quidem in duas utriusq;
cruris grandes uenas, superne uero, in eas quæ ad
utrunq; cubitum perueniunt, pars etiam ad caput.
Sed ab ipsa uena caua dũ simplex est, oritur utraq;
uena quæ costas nutrit, nam quæ nutrit costas in-
feriores, infra cor oritur, quæ uero alit quatuor
costas

costas superiores, supra cor, & paulo ante diuisionem uenae cauae, ut aperte uidetur in dissectionibus, & Galenus explicat, libro secundo de ratione uictus in morbis acutis, commentario decimo. Ergo inter locum dolentem & utrumq; cubitum interuenit uena quae costas alit, per quam fit defluxio, deinde hanc excipit uena caua per quam solam ad utrumq; cubitum iter est, utrinq; equale, ut sit in diagrammate uena caua a b c. locus pleuritidis sit d in latere dextro, uena quae costas alit sit b d. Diuidatur autem uena caua a b c, in a e, uenam brachij dextri, & in a f, uenam brachij sinistri, iam aequales sunt uenae c a, f a, & communis est uena a b. Igitur à loco d, ad loca c & f, per communem a b, quae unica est, par est distantia, id est à pleuritide dextri lateris ad utrumq; cubitum. Ergo ut detur quicquid petis, quid tibi cum hac distantia, ex qua uides nihil posse colligi, quod tuas partes foueat, potius quam meas? Hanc ob causam praestantissimi ex recentioribus, ut Nicolaus Florentinus, putant id non posse ulla ratione probari, sed sola experientia, conferre etiam inter initia unius brachij uenae sectionem in pleuritide potius, quam alterius. Galenus etiam ipse libro de uenarum sectione, siue de flobothomia, & natura imitationem, & suam experientiam adducit, cum alioqui semper soleat rationem reddere etiam



B in minis



In minimis rebus, quasi ea res sola experiētia con-
firmari possit, sed id postea accuratius scrutabi-
mur, huic rei dicato libello, ubi ostendemus & tra-
ctum & pulsum humorum à natura optime ac ex-
pedite fieri eo modo quo uenarum stamina proce-
dunt siue filamenta siue uilli, & hanc appellari
rectitudinem ab Hippocrate & Galeno. Hanc
enim ob causam, ab eo latere quod dolore affectū
est, sanguinem detrahunt retractionis gratia. For-
tassis confugies ad ignotos meatus, quos nemo un-
quam uidit. Scio enim nihil esse adeo absurdum,
quod sophistæ non malint concedere, quàm dese-
rere sectam, sed illud relinquo tanquàm ridiculū,
presertim, cum adsint grandes uiae, per quas faci-
le & celeriter sanguis decurrat. Vltimum refugiū
erit ad contrarietatem. Sed primum inutilis erit
hæc ratiocinatio quam de distantia adducis. Præ-
terea tu tuam sententiam euertes, nam cum colli-
gas consulte fieri, si sanguinis prima detractio de
crure fieret, ut Auicenna præcipit (meo quidem iu-
dicio ineptissime) quoniam maius sit interuallum
à crure ad pleuritidis locum, quàm à brachio ad-
uerso, concludere te oportet æqualiter conferre ex
utroq; brachio, quoniam par sit utraq; distantia.
Sicut enim simpliciter dictum, ad simpliciter di-
ctum se habet, sic magis ad magis, & maximum
ad maximum, contrarietatis enim magnitudinem
ex distā

ex distantia maiore aut minore accepisti, immo potius in equali distantia detrahendum esse ex affecto lateris brachio dicere debuisti. Quoniam rectitudo maior est, & proinde contrarietas in eadem distantia maior, si contrariorum distantia secundum rectitudinem sit accipienda. Rectitudinem intelligo non mathematicam, neutra enim talis est, sed naturalem, quae & in nervis & uenis fit secundum filamenta, quae satis constat à latere dextro ad cubitum dextrum perpetuo incessu procedere, non autem ad sinistrum. Sed de contrarietate post hac dicemus, quae certe in medicina non est aliud quam morbi ablatio, quantum fieri potest subita & sine periculo. Vide igitur quantum deficias ab eo, qui in alterum dicere paratus est.

¶ Sed nunc tractemus postulatum. Diuersio (ais) fieri debet ad longinqua. Si de aliqua intelligis, nihil ex particularibus colligitur. Si de omni, & diuersionem uoces idem quod auersionem, audi Galenum libro quinto therapeutice,

Ἀποτρέπεται δὲ καὶ ἀποσρέφεται τὸ αἷμα πρὸς ἕτερα μόρια προχετούσῃ καὶ ἀντιπᾶσι, καὶ γὰρ καὶ ταυθ' ἰπποκράτους εὐρήματα κοινὰ πάσης ἀμέτρου κευώσεως, προχετεύεται ἢ οὐρ εἰς τοὺς πλεονίστους τόπους ἀντιπᾶτα! δὲ ἐπὶ τοὺς ἀντικαμένους, id est,

Auertitur autem & deuoluitur sanguis ad alias

partes deriuatione, & reuulsione, nã & hæc quoque sunt Hippocratis inuēta omni immodicæ euacuationi communia. Deriuatur sane ad uicina loca, reuellitur autem ad contraria. Ergo non omnis auersio fit ad longinqua loca, nam deriuatio ad uicina fit. Sed forsitan de sola reuulsione intellexisti, neq; refert siue reuulsionem, siue retractionem, siue Græco nomine antispasim appellauero, utraq; tamen & reuulsio & deriuatio, uim habet sistendi influentem humorem. Cuius rei gratia sermonem de diuersione susceperas, quod Galenus eodem libro affirmat, his uerbis. Porro sanguis confluere prohibetur & propter animi deliquium, & cum ad contraria reuellitur, & cum ad uicina deriuatur, & per refrigerationem tum totius corporis, tum uero ipsius partis afflictæ. Igitur reliquum est ut de antispasi, id est, de reuulsione, sit tibi sermo. Hanc autem primum definiuisse debuisti, deinde ostendere uel simplicem esse uel multiformem, deinde si simplicem inuenisses, ac unius speciei, inuenire quid nata sit agere, id est quam uim ac potestatem habeat in medendo, & cui malo occurrat, cuiue indicationi succurrat. Par enim erat unicam speciem unica ui præditam esse. Sin multiplex inuenta esset, digessisse in partes ac species, & singularium potentias ac uires scrutari, atq; non sãma & ex aliorum relatu coniectare,

reuulsio
retractio
si autem

iectare, sed ex euidentissimis secundum rationem
principijs aut ab experientia petitis demonstrare,
& singulis contraria uitia opponere, & suas in-
dicationes reddere. Quæ quia nõ præstitisti (neq;
enim cuiuslibet est adire Corinthum) à me audi-
es, sed altero libello, in quo nec tui meminero. Nũc
satis sit uitia ostendere tuæ iniustæ reprehensio-
nis. ¶ Antispasis (ais) siue reuulsio, siue retra-
ctio ad longinqua fieri debet. Item fluentem mate-
riam oportet ad contraria diuertere, siue reuelle-
re, siue detrahere. Quid tibi uelis his uerbis, non
facile conijcio, nam neq; in ipsa parte quæ phleg-
monem patitur, neq; in ualde uicina ut attigua,
secundam esse uenam ad retrahendam defluxio-
nem censeo, sed distantiam quandam exigì. Cuius
rei causam post ea dicam, quod fecisse debueras,
& fluentem materiam retrahendam esse, si præter
naturam fluat, neq; adsit contraria indicatio, gra-
tis dabimus & retractionem omnem fieri ad con-
traria, quàm fieret defluxio siue econtrario, hoc
est, per eandem uim uersus ea loca à quibus antea
humor præter naturã fluebat. Sed hæc expositio quæ
uera est, tam non subseruit tuo proposito, Sed ex
diffinitione omnia melius intelligetur. σπᾶω græ-
ce, idem sonat quod uello, siue traho, et ἀνυσπᾶω
reuello, uel retraho. Vnde antispasis dicta est, qua
si reuulsio, uel retractio, uel in aduersum uulsio.

B 3 Igitur

Igitur attractio, præexistenti in eadem materia motui, sed contrario, colata, retractio appellatur. Quoniam uero medici retractionem intelligunt motum qui fit in humoribus, & eandem esse mendendi præsidium aduersus morborum generationem, diffinietur hoc modo. Retractio, est arte factus humorum tractus e contrario, quam antea fluebant. Est alia retractio nature opus, huius exemplar. Retractionis hæc est utilitas, ut facultatis excretorie impetus in aduersum conuertatur, tum ipsius partes dolentis, tum uicinarum & compatiens alienam materiam nitentum expellere, quod commode fiet facta ex aduerso uia, non in ipsa parte dolente, neq; in uehementer condolente ob propinquitatem, præsertim uenæ sectione sanguinem in aduersum quam conflucet, trahente. Commune autem opus & retractionis & deriuationis, est sanguinem euacuare de parte affecta. Sed huic ualidius discrepat, quod illa nititur ac trahit in aduersum, hæc, in latus, & ideo melius fit ex uicinis locis. Fit interdum partim in aduersum, partim in latus, & hæc, interdum retractio in contraria, interdum deriuatio ad uicina appellatur, & habet utriusq; commoditatem, interdum utriusq; ex æquo, aliquando alterius potentiolem. At contrarij motus dicuntur proprie quidem, qui per eandem uiam & inter eosdem terminos permutatiue fiunt.

funt. Terminos uoco, à quo, & ad quem fit motus, id est, quorum uterq; orditur, ubi alter desinit in diuersa procedendo, ut si quis Thebis Athenas progrediatur, rursusq; per eandem uiam redeat Athenis Thebas, cōtrarius erit progressui regressus, præsertim si uia sit recta. Sed illam det cœlestium motuum cōtrarietate subtilitatem, dissimulanter prætereo, cōmuniter tamē appellantur contrarij motus, qui fiūt à cōtrarijs terminis in cōtrarios terminos, præsertim secūdū rectā, uel per eandem uia, ut motus sursum motui deorsum, calefactio refrigerationi, & progressus regressui. Contraria autē sunt & extrema extremis, & extrema medijs, & media medijs. Neq; adeo simpliciter intelligendū est cōtrarios motus fieri à cōtrarijs terminis in cōtrarios terminos, tanq̄ motus nō sint cōtrarij nisi incipiāt in extreme cōtrarijs, & perueniāt ad extreme cōtrarios, sed dicūtur fieri à cōtrarijs terminis, quoniā ab extreme contrarijs terminis longius recedatur, & abire in contrarios terminos, quoniā uersus extreme contraria progrediatur, propiusque accedatur. Tu uero antispasim siue retractionem, ad longinqua esse faciendam probas, quoniam ex Galeni sententia, ex ijs quæ supra sunt, semper deorsum agatur diuersio, & rursus ad partes, quæ maxime longinquæ sunt, semper diuersio facienda sit.

Ex quo suspicari uideris eadem esse longinqua
& contraria, neq; antispasim esse, nisi humor in-
fluens retrahendo ab affecta parte, perueniat in
contrapositam & distantissimam partem. Ergo
neq; lapis dicetur descendere aut deorsum moueri,
aut ad inferiora, nisi ad infima, & ad mundi me-
dium perueniat, quod dictu absurdissimum est. Di-
citur enim aliquid moueri deorsum & ad inferio-
ra, quoniam uersus inferiora siue uersus mundi me-
dium tendat, non quod illuc perueniat. Sic & me-
dicamentum calidum frigido corpori occurrens,
calefacere dicitur, non quod ipsum calidissimum,
ignis modo, reddat, neq; quod calidius moderato,
sed quod caliditatem uersus transmutet, nam ple-
ne, quantum ad medendum attinet, calefecisse di-
cetur, cum corpus ad caloris mediocritatem reuo-
cauerit, depulso frigoris excessu, estq; in omnibus
præsijs medendi eadem ratio, ut Galenus admo-
net libro undecimo therapeutice, ubi agit de con-
trarijs eo loco quem tu male citas. Igitur & retra-
ctio ad inferiora dicetur, quod sanguis deorsum
uersus transferatur, non quod ad infima perueni-
at, & absolutissima retractio erit, ubi sanguis ad
totius corporis medium, ut ad uenam cauam peri-
ueniat, e contrario quam antea deflueret, siue sur-
sum fiat, siue deorsum, siue aliò fiat, ut dextror-
sum, sinisterum, ante, retro, intro, foras. Ergo ut
cōmode

commode fiat retractio, non est facienda ex ipsa parte dolente, neq; ex contigua uehementer condolente per consensum, sed deinceps consequente idq; ad extremam usq; atq; distantissimam, non quouis modo, sed secundum directum, neq; enim ut tui loquuntur, licet pertransire duas diametros. Igitur tales erunt termini à natura positi, inter quos fieri potest retractio, semper equidem in contrarium perueniens, saltem in medium contrariū, sed non semper in extremum contrarium, neq; in distantissimum, neq; aliud indicāt illa Auicennæ uerba, quæ adducis, quàm ad retractionem exigē quandam distantiam ad conuertendū naturæ impetum, & fieri interdum posse usq; ad partē cōdirecto distantissimam, & hunc esse alterum terminum, neq; enim fieret commode per duas diametros, & certe uel sic intellexit, uel sic intellexisse debuit, neq; enim ei addictus sum, neq; in eius uerba iuravi. Rursus defluxio & retractio semper fiunt uersus extreme contraria, quamuis etiam ad ea non semper perueniāt. Sed ne me putes aliquid finxisse, quoniam soletis scriptorum autoritate moueri potius quàm ratione, testem citabo Galenum, libro de uenarum dissectione ait. Non est autem negligenda à nobis uenæ sectio, neq; ut reuulsurum præsidium, cum iam uideritis me frequentissime in ualido sanguinis de naribus fluxu uti

B 5 hoc præ

» hoc præsidio, & fluxū illico coërceri, expedit aui-
» tem, ut uidistis, non expectare donec uires ad ex-
» tremum casum deueniant, sed cum uidetur idonea
» quantitas euacuata, perseverante ualida sangui-
» nis eruptione, secare cubiti uenam dextri quidem
» brachij, profluente sanguine de nare dextra, sini-
» stri uero de sinistra. Subdit & uincula membris
» inijcienda, & cucurbitulam hypocondrio appo-
» nendam, & hæc præsidia potentissima esse, neq;
» dubium est quin duplex negatio apud Græcos ue-
» hementius neget. Cæterum de iisdem eodem libro
» rursus scribit, hoc modo. Sed & reuulsio edirecto
» facta, euidenter iuuamentum celeriter ostendit, at
» econuerso nequaquam, ex dextra quidem nare san-
» guinis profluuium apte & celeriter sistit, cucur-
» bitula dextris hypocondrijs apposita, sicuti sini-
» stris ex sinistra. Similiter si reuulsionis gratia ue-
» nam secueris, sanguine edirecto fluente confestim
» manifestum præsidium senties. Idem eadem scri-
» bit de cucurbitula in libello de reuulsione siue anti-
» spasi, dicit præterea. Reuellunt autem & acris
» medicamenta pectori illita, humorum ad caput
» & uiscera defluxiones. Item libro therapeutica
» quinto. Hac igitur de causa, si uel menses conse-
» stim eruperint, uel sanguinis quoquo modo ab ute-
» ro profluxerit, sursum reuelles, cucurbitam ma-
» gnā sub mammis defigens, nam & hoc Hip-
» pocratis

pocratis inuentum est. Eandem ob causam, cum
e naribus sanguis erumpit, id retinent magnæ
in præcordijs defixæ cucurbitæ, infigendæ au-
tem sunt, si ex dextra nare profluunt super ier-
cinore, sin ex sinistra, super liene. Si ab utraque
nare, super utroque sunt imponendæ uiscere.
Quod si resolutus adhuc æger non sit, etiam ue-
na sub eo cubito incidenda est, qui profusioni edi-
recto respondet, ubi paulum detraxeris, mox
unam horam intermittens, rursus detrahes, post
iterum atque iterum pro laborantis uiribus. Ex
multis locis hæc pauca sufficiant, ad ostenden-
dum neque semper exigi maximam distantiam,
ut sit reuulsio, neque semper eam esse optimam,
quæ fit per loca distantiora, cum fieri possit per
propiora. Sanguinem enim de naribus fluen-
tem, non retrahes, in crure fixa cucurbitula, sed
in hepate, aut liene edirecto, neque secta pedis
uena, aut brachij diuersi lateris, sed edirecto,
dictum etiam est de contrarietate. Ex quibus con-
stat, non esse tua postulata secundum & terti-
um alio quàm dixerimus modo recipienda, nisi
forsitan intelligas, ubi retractione opus est, quam-
uis non omnis fieri debeat ad distantissima, sed
quædam ad propiora, quandam etiam ad distan-
tissima faciendam esse. Sed non adeo alte con-
templaris, neq; putas aliam esse retractionem,
quàm

quàm quæ fit sanguinis missione, uel certe non pu-
tas, uel dum hunc codicem scriberes, tibi non suc-
currebat, neq; quicquàm uniuersaliter postulas,
sed indefinite solum maiore securitate (diceret ali-
quis malus, maiore ignorantia) quàm deceat homi-
nem, qui uult in contradictionibus uersari, & aliis
reprehendere, neq; enim ex particularibus aut in-
definitis, coalescet ulla ratiocinatio. At positis ter-
minis atq; limitibus, inter quos retractio uarie fi-
eri potest, hinc distantior, illinc propior, querenda
est ratio, quæ interdum hæc, interdum illa sit præ-
ferenda, hoc enim modo & facile erit explanare
Galenî loca, quæ citasti, & ratio mittendi sang-
uinis cum in pleuritide, qua de nunc agimus, &
omnium uiscerum inflammationibus dilucida eua-
det. Sed undenam poterimus ista uenari? Non equi-
dem ex nudo nomine ut tu, qui tuam diuersionem
intonas, neq; eius naturam explicas, sed ex rerum
natura & uarietate, hoc est, disquirendo retracti-
onis materias atq; uires, tum eius quæ fit ex distan-
tioribus, tum eius quæ fit ex uicinioribus locis, &
per differentias pertendo in species, deinde affectû,
generibus diuisionis artificio comprehensis, & ex
eorum essentia ac magnitudine, sumptis primis in-
dicationibus, hæc enim sola ratione & primis sco-
pis, idoneas materias auxiliorû reddemus, & sin-
gulis affectibus contrarias uires opponemus, de
quibus defun-

quibus defunctorie solū, & (ut aiunt) crassa Mi-
nerua hoc in loco differere institui. Tu uero de auer-
sione aut retractione loqueris, non aliter quā si
unam haberet in medendo facultatem, neq; uari-
as species sortiretur, sed etiā si simplex esset, eius
uim non exponis, sed nomen. ¶ Ergo sanguine
in aliquam corporis partem defluente, ut in ca-
put, retractio quæ fit in parte distātissima & con-
tra posita ut in crure, totam humorum molem in
se conuertere nata est, sed imbecillius atq; tardius
trahit distantiore humorem, propiore, ut eū qui
in capite est, eo qui in renibus, si omne agens po-
tentius agit in propiora quā in distātiora. Hinc
fit si excretoria facultatis impetus paulo concita-
tior fuit, ut non satis sit ad cohibendum, nam in co-
lera morbo, uidemus uim uentriculi concitatiore
& sursum & deorsum excernere, Sed in morbis
acutis, ualde concitata est excretoria facultas, ne-
que enim aliter fierent morbi uitæ discrimen affe-
rentes, quales sunt omnes acuti. Idcirco in acutis
morbis, uix satis esse potest retractio ex distan-
tissimis partibus. At retractio quæ fit ex uicinior-
ibus, neq; aliquod damnum ex accidenti affert,
cum ualidius trahat multum & cito euacuare po-
terit ex uicina parte ægrotante, sed totam humo-
rum molem non poterit retrahere. Igitur in spici-
endum est, an morbus potius exigat retractionem
totius

potius molis humorum, neglecto loco dolente neq;
eo celeritatem requirente, an potius quod pluri=
mum ex dolente loco retrahatur, & celerrime.
Illic enim ex distantioribus & quæ ultra corporis
umbilicum sita sint, hic ex uiciniorebus potius re=
trahere admonemur, aliquando ex utrisq; retra=
here expedit. Rursus retractio fit, sanguinis mis=
sione, uena secta, cucurbitulis, frictione, motu, uin=
culis, & alijs dolorem cientibus, medicamentis
calidis illitis, & purgatione, per aluum, per uomitum,
per urinas, per uterum, per mariscas, per sudorem,
& alia id genus, quæ calore, dolore, propria qualitate,
corporum consequentia ad uitandum inane, influentem
humorem retrahunt. Hinc materiae retrahentes ferè
implent partes, ad quas trahunt, alijs euacuatis,
simulq; ferè afficiunt, uel calore uel dolore, quod
incommodum uicinae facile suscipiunt, sola uenæ
sectio parti quæ uulneratur, neq; calorem, neq;
dolorem insignem, neq; plenitudinem affert, sed
contra & ipsam, & ap/prime uicinas, plurimum
exhaurit, neq; postea implet, præsertim si corpus
exacte & acute euacuet, ablata scilicet facultatis
excretorie materia. Nam quæ cient urinas, menses,
aluum, uomitum, & calfaciunt uehementer,
præsertim duo priora, & omnia excrementosas
materias in suum locum diducunt, per quæ uidelicet
euacuant, & adiuta à uentris mor

tris musculis ac septo transuerso, inter uomendū
uel egerendum, impetum uenarum totius corporis
uersus eandem partem exprimendo conuertunt.
Hinc enim, uomitus uim habet, cerebri implendi.
Rursus quædam manifeste euacuant, quædam non
nisi tarde, & latente sensum effluuio, & quædā
ualide trahunt, ut cucurbitula, quædam languide.
Igitur cum in phlegmone sint molesta hæc, plenitudo,
siue multitudo, calor, dolor, non conueniunt,
uel in ipsa phlegmone, uel in uicinis partibus,
neq; ea quæ talia efficiunt. Vicinis enim partibus,
similia uicia facile cōmunicantur, neq; igitur conuenit,
in phlegmone retractionem fieri è uicino,
præsidijs calorem aut dolorem euocantibus, neq;
implentibus aut ipsam phlegmonem, aut uicinas
partes, sed potius euacuantibus etiam magna cele-
ritate. Contra uero apprime congruunt, ea quæ
tollunt multitudinem, calorem, & dolorem, & eo
celerius quo maior est morbus.

Sed præstiterit quasdam retractionis species
percurrere, hoc modo. Ulcere capiti insidente, &
uitiosis succis magna ui ad ipsum profluentibus,
confert aluū subduci, potius quàm uomitum cieri
purgationis gratia. Aluo enim cita, & uitiosus
humor à capite per iccur in uentrem trahitur, edis-
uerso quàm fluebat, & uoluntario motu musculo-
rum uētris, & thoracis, uenarū impetus facultatis
excretoris

excretoria, exprimendo deorsum uersus conuertitur, totamq; humorum molem deorsum impellit. Sed uomitu citato, uitiosus quidã humor à capite per iecur in uentrem trahitur, ediuerso quam fluebat, at à musculis uentris & thoracis, tota humorum moles inter uomendum sursum repellitur, & caput implere potest, quare prior retractio potentior ac tutior est, præsertim ubi defluxio ualida, aut corpus impurum est, unde prior quia solũ retrahit, & duplici ratione retractio solum siue antispasis appellatur, posterior autem quamuis aliquid retractionis, quando tamen altero modo per easdem uenas reciprocando ac exprimendo humores in dolentem locum conuertat & ipsum impleat, non retractio prioris comparatione, sed deriuatio dici meretur, præsertim quod nulla sit alia propior deriuatio purgando facta, & quod in latus fiat. Idem de uentris subductione censendum est, comparatione uomitus, si ulcus fuerit in partibus infernis. Neq; de phlegmone dicendum puto aliter quam de ulcere, quanquam de phlegmone alia ratio est, quod medicina purgantes, partes calfaciant, per quas purgant, & uicinas concalfaciant. Hac de re Galenus libro therapeuticæ quarto, de Hippocrate loquens ait, in progressu uero hæc insuper adiicit. In omni ulcere cui herysipelas superuenit, purgari corpus oportet, quæ parte

parte ulceri maxime conducit, siue id per inferna e
siue per superna sit. Cuius etiam ipsius rei descri- e
men in libro de succis nos edocuit. Auertere nos e
iubens ad contraria, deriuare uero ad latus, Quin e
etiam cum maxime influit, tum ad diuersa reuel- e
lere. Dictum etiã & de hoc in eo libro est, Qua- e
re nunc quoq; si etiam num fluxio ualenter irru- e
at, reuellere ad contraria studebimus, utiq; si in e
superioribus ulcus consistat, per inferna purgan- e
tes. Sin autem in inferioribus sit, superiorem uen- e
trem uacuant. At si fluxio iam restitit, atq; in e
membro inhæsit, deriuare per uicina magis expe- e
dit. Cum & in propinquiora translatio sit, & pur e
ganti medicamento promptior, tum accessus, tum e
attractus è uicino detur. Ex hac serie citas duo lo e
ca, ad ostendendũ quod fluentibus humoribus con- e
gruat retractio in contrarium. Sed hic agit de pur- e
gatione, non de sanguinis missione, ut paulopost e
docet, At tamen omnis retractio fit e contraria q̄ e
defluxio. Item retractio & defluxio semper fiunt e
uersus contraria extrema, sed non semper ad ea e
perueniunt. Ceterum proposita retractio purgan- e
do facta, fit per extremum cõtrarium ei, ad quod e
fit defluxio, quoniam ex aduerso defluxionis nul- e
lum emissaculum per quod fieri possit purgatio, e
e directo iacet aliud, quàm quod in corporis extre- e
mo positũ est, cõtra quam in sanguinis missione. e
C Cum

Cum enim purgatio per aluum & gulam solum fiat, quæ in duobus corporis extremis collocantur ubi unum nõ expedit, reliquum est ad alterũ transire. Sed uena, aperiri & propius & distãtius pro arbitrio potest. Deinceps in maiore distantia uis excretoria impetũ in aduersum defluxionis conuertit, musculorum actione, ut modo diximus, cõtra quam in minore. At in sanguinis missione musculi nullum præsidium sicuti neq; impedimentum afferunt. Præterea partibus supernis defluxionẽ recipientibus in alui purgatione, uis medicamenti proprium nocentemq; succum de supernis partibus sufficienter retrahit. Ab infernis autem ualidius euocat, sed uitiosum humorem, neq; idcirco in partibus infernis, uel alimenti inopia, uel prauitas succorum derelinquitur, sed contrã, & eadẽ sanguinis copia, & puritas maior, eo uidelicet purgatione defecato. Contrã uero uenæ sectio sanguinem proximum potius & consequentem quantumuis bonum, euacuat. Proinde in distantissima parte sanguis optimus solum uacuatur, & in eius locum paulatim surrogatur, atq; transit uitiosus, & quod reliquum est, inficit, sed ex uicino facta, uitiosum expurgat solum ac delinquentem. Insuper defluxione partem quandã supernam urgente, & uomitu medicamenti ualidis citato. Humor qui à partibus infernis sursum uergebat, ad dolentem

dolentem locum, in iecore directa uia ui medicamē-
menti in latus, deducitur ad uentriculum & gu-
lam, uersus eas partes ad quas fiebat defluxio,
atque repurgatur, non perueniens ad infirmum
locum, & hic motus eius humoris deriuatio ap-
pellatur, quasi purgatio aut euacuatio in latus fa-
cta. Reliqua uero humoris pars quæ in uenis ie-
core superioribus continebatur, ui medicamenti
deorsum ad iecur magna ex parte retrahitur, quæ
actio antispasis dici potest. Est enim interual-
lum plusquam sufficiens, sed quia uomendo, ni-
tendo, & exprimendo, per musculos uenarum ex-
cretionis impetus sursum conuertitur, eo merito
perdit retractionis nomen, reciproca scilicet ac-
tione utilitatem retractionis subducente, quæ
est nature in contrarium defluxionis conuer-
sio. At in uenarum sectione etiam si sit earum
reciprocatio, nihil huiusmodi causari potest, mus-
culis earum expulsionem neque adiuuantibus,
neque impredientibus. Hinc uena poplitis incisa
in uteri phlegmone, sæpe deriuatio, aliquando re-
tractio appellatur à Galeno, in libro de uenæ sec-
tione, quam fieri solam inter initia phlegmones
precipit, nõ autē ex brachio, etiã si corpus plenũ
sit, sed est deriuatio à uena caua, eã enim in latus
uteri euacuat, retractio aut à phlegmone uteri per
C 2 proprias

proprias uteri uenas in ipsam uenam cauam. De-
mum seruata priore hypotesi, & uomitu citato,
propter propinquitatem offenduntur partes deflu-
xionem recipientes. Neq; enim medicamentis ce-
dit cruda adhuc passio, quæ uero morbo resistunt
& sana sunt, colliquefcunt, ut Galenus scribit li-
bro primo de crisibus, et Hippocrates libro quarto
de ratione uictus in morbis acutis. Hac autē irri-
tatione incitatur calor & dolor, & defluxio au-
getur. Hinc etiam si per breuissima spatia edire-
cto fieri posset in contrarium purgatio, non cõue-
niret ob eandem causam, quoniam è uicino uali-
dis medicamentis irritaretur cruda adhuc passio.
Neq; enim quæ ualidius retrahunt, confestim me-
liora sunt, sed si sine ulla irritatiõe agant, quales
sunt pulsus & tractus à natura facti, morbida de-
fluxioni contrarij, ut in uenæ sectione edirecto, in
qua hinc partibus uacuatis, sua ui attractrice elie-
cientibus sanguinem, illinc parte egrotante pel-
lente, & à se summouente, qua uia facta est san-
guis erumpit, & eo uersus naturæ impetus cõuer-
titur, omitto, hæc de oris & intestinorum ulceri-
bus intelligi posse. Constat igitur quamuis purga-
tio medicamentis retrahat per distantiora loca,
nullius rei argumẽto id esse, ut etiam sanguis per
distantissima loca semper sit retrahendus, iam ad
alia. ¶ Vbi corpus uacuandum est, exercitatio-
ne, fr̃

ne, frictione, aut unctione calfaciente, reuelendo
ab ea parte in qua flegmone consistit, hæc non ui-
cinioribus, sed potius distantioribus sunt adhiben-
da. Hæc enim cum tarde retrahant, & ideo in ma-
gna celeritate non sufficiant, calfaciunt tamen, et
implent eas partes ad quas fit attractio, quod uit-
tium, uicinis partibus huic malo oportunis, facile
communicaretur. Eandem ob causam, & præsen-
te iam febræ, Galenus paucioribus euacuari cor-
pus permittit. Ait enim libro therapeuticae deci-
motertio. Siquidem si iam febricitet æger, nec ex-
ercitatione uacuare, exuperantiam licet, nec inun-
ctione quæ excalefaciat, sed nec multa frictione,
nec balneo, imò sanguinis missione, unà cum me-
dia, uel purgatione aliqua. At si nondum febrici-
tat, omnibus iam dictis utare, optimum quodq; ad
id quod instat deligens, Subdit, Illud enim patere
uel me tacente arbitror. Eum cui crura phlegmo-
ne laborant, non esse uel ambulatione, uel cursu
exercitandum, sed nec stare illi esse iubendum,
imò sedenti plurimum fricari, mox manuum mo-
tu exercitari, illi est satius. At si cui in supernis
partibus coeperit pars aliqua phlegmone tentari,
huic motus ex inambulatione, aut cursus, est salu-
taris. Similiter & frictio, his quidem ea potior est
quæ cruribus adhibetur, illis quæ in supernis par-
tibus administratur. Quippe præceptum in con-
trarium

trarium auersionis in omnibus talibus commune est. Vides frictionem non omnino prohiberi in medijs partibus, sed prestare in extremis, in solum utpote distantissimis, exercitationem permittit, motum scilicet ualentiozem, sed satis constat, sanguinis missionem nullum id genus effectum sortiri. Neq; etiam corpus medicamento uacuandum est, per locum inflammatum, neq; uicinum, sed potius per distantiorē, nam per locum inflammatum, purgatio deducit impuri corporis recremēta ad phlegmonem, & calorem irritat, ac dolorem, & defluxionem auget, talem enim facultatem habent, medicamenta quæ urinas & menses cicut, aut aluū, aut uomitum, sed priora sunt uehementer calida, idcirco uicinam phlegmonem irritare nata sunt, de posterioribus alia etiam ratio est, superius reddita. Hinc recte subiicit Galenus superius adductæ seriei. Neq; igitur cum uel circa sedem uel aliquā huic uicinam partem initium phlegmones incidit, aluum deijcies. Neq; cum in uesica uel cole uel renibus est cepta, pharmaca quæ urinas prouocent, bibenda dabis. Nec si mulieri in utero uel pudendo insedit, menses huic prouocabis. Sed ad longinquissima semper reuulsionem facies æstimata scilicet tum phlegmones magnitudine, tum totius corporis statu. Aestimare præcipit phlegmones magnitudinem quod tui similes omittunt, uel male inter-

interpretantur, ea enim, retractionem fieri iudicat, medicamentis quidem, per distantiora loca, ut antea ostensum est, uenæ uero sectione per uiciniora, ut & ex superioribus potest ab homine ingenioso facile intelligi, & postea amplius explicabitur. Hæc etiam uerba, ἐπι τοῖς ῥωτῶτα, id est, ad longinquissima siue in distantissima, & τοῖς ῥωτῶτως, id est, longissime, ut alibi scribit, non tam significant ad partes situ distantissimas à loco inflammato, quàm in diuersissima quàm fieret defluxio, faciendam esse retractionem, & e contrario quàm fieret defluxio. Neq; tamen disfitendum est, in humorum redundantia, & ingenti phlegmone, retractionem medicamentis factam potius congruere per distantissima loca, & sæpe nocere per uicina, etiam si nil aliud obesset, quàm irritatio, à calore & medicamento tractu, facta. Redundantibus etiam humoribus in toto corpore, non est incidenda aut ipsa phlegmone, aut ualde uicina, uel compatiens particula, neque omnino fluentibus humoribus. In ipsa enim phlegmone & uicina parte uehementer condolente, irritatur dolor, uel uulnere, uel uiolento cucurbitæ tractu, & proinde ad ipsam phlegmonem uehementius trahunt, calor & dolor humorem, alioqui sponte defluentem, quibus accedit adhibitum remedium,

ut cucurbitula. Non patente autem libero exitu,
necesse est humorem per inflammatae partis mea-
tulos dispergi, & morbum augeri, immo cum mul-
ta trahant, & sola cucurbitula modicum diluti
sanguinis per angustos meatus euacuet, plus at-
trahitur ad phlegmonem, quàm euacuetur. Idem
asserit Galenus libro secundo, de arte curatiua ad
Glaucōnem his uerbis. Vbi morbus est inuetera-
tus, à membro ipso patiente detrahimus. Sic igitur
in synanticis, eas quæ sub lingua sunt, incidimus
uenas, quando iam totum corpus uacuum se nobis
obtulerit, passio uero sit diuturna, sic & hepatis &
spleni cucurbitas applicabimus. Sic & aliud quod
libet patiens membrum incidimus, si non amplius
humores influant (tunc enim magis irritaueris, &
malum duplicaueris) sed quando iam totum cor-
pus expurgatum fuerit, neq; aliquid influit, ali-
quid uero quod pridem influxerat, in membro con-
tinetur. Simile igitur periculum imminet, uolenti
totum corpus expurgare, secta uena quæ per locū
dolentem, aut ualde uicinum transit, si angusta fu-
erit, pellente enim natura totius corporis excre-
menta ad phlegmonem, & eo propensius quod uia
fluxui facta est, periculum imminet, ne plus humo-
ris perueniat, quàm per angustam uiam transmi-
ti possit, semper etiã aliquid crassioris sanguinis
detinebitur contra, quàm in amplis uenis, qua re-
dundant.

dundantia necesse est, excrementum in phlegmoni-
nem distribui, & morbum augeri. Adde quod per
paruas uenas, uix potest idonea quantitas uacua-
ri, ut totum corpus repurgetur, quales sunt uenae
quae sunt sub lingua in synanche. Alia phlegmo-
nes implendae ratio est, si uenae secentur admodum
propinque, ut uerbi gratia, in angina, uenae sub
lingua, uidelicet uinuali iniectio, adstricto enim
collo ut sub lingua uenae intumescant, uehemens
fit, ex toto corpore etiamnum impuro, ad anginam
humorum tractus. Recte igitur admonet Galenus
libro therapeuticae decimo tertio, hoc modo. Quip-
pe ipsum quod phlegmone infestatur, uinciendum
non est. Praeterea ex nimia uicinitate tollitur re-
tractionis commoditas, quoniam ut antea dictum
est, non relinquitur spatium, ut conuertatur facul-
tatis excretoriae impetus, deinceps eo conuerso,
oportet uacuam uenam relinqui, eius quod ex phleg-
mone regurgitat, capacem. Recte igitur à Gale-
no dictum est libro therapeuticae quarto. Ac si per-
petuum est quod ab eo didicimus (de Hippocrate
loquitur) incipientem fluxionem ad contraria tra-
hendam esse, fixam uero iam in laborate particu-
la, uacuandam esse uel ab ipsa particula quae affli-
gitur, uel à maxime uicina. In promptu nobis &
de sanguinis detractio colligere nunc est, quod
in principio haec ex longinquo, postea ab ipsis ex-
C 5 ulcerat

ulceratis partibus sit emollienda. E longinquo di-
 cit, non autem longissime, sicuti cum de purgatio-
 ne ageret. Ex his colligitur in pleuritide, corpus
 impurum in principio non esse purgandum, neq;
 per ipsam phlegmonem, ut spuitiones promouen-
 do, neq; per partem ualde uicinam, ut factis ex-
 trinsecus in lateris parientis cute, scarificationi-
 bus, adhibitisq; acurbitulis, neq; idcirco in malle-
 olo secanda est uena, Horum & aliorum prae-
 dictorum omnium una est ratio, quod quamuis ali-
 quid de corpore euacuent, tamen uel nullatenus,
 uel non commode retrahant, quam Galenus deci-
 motertio therapeuticae his uerbis exponit, lesione
 > scilicet ex accidenti sequentem. Quoniam igitur
 > momentum omne laborantis phlegmone partis, in
 > redundantis in ipsa sanguinis uacuatione consistit,
 > uacuatio autem hoc genus affectorum excogitata
 > est duplex, aut translato ad alias partes, qui in
 > agra continebatur sanguine, aut foris à corpore ex-
 > pulso, satius profecto est, utraq; uti, obseruantibus
 > diligenter, ne qua ex accidenti lesio sequatur. Ca-
 > terum haec lesio quænam est obsecro? quando uel
 > morbus maior efficitur, auctis ijs quæ in phlegmo-
 > ne sunt, præter naturam, calore, plenitudine, &
 > inde nata tensione, ac dolore, idq; in parte inflam-
 > mata, uel etiam febre in toto corpore? Vitatis autem
 > dictis incommodis retractio fieri poterit, sanguis
 nis mis

nis missione, interdum propius, interdum distan-
tius, ut antea ostensum est. Sed nunc duos retra-
ctionis terminos definiamus. Undenam eorū differ-
rentia accipietur? ex defluxionis generibus de ue-
narum forma sumptis, siue ex partium laborantiū
positu hoc modo? Defluxio partim est in ipsa phle-
gmone patiente particula, aut uena quæ eam pe-
culiater alit, partim in communioribus toti corpo-
ri uenis, differunt, quod prior defluxio omnino
præter naturam & incommode fiat, morbū enim
necessario facit, neq; aliter potest per eam partem
euacuari, neq; satis sit eam sistere. Iam enim adest
copia humoris præter naturam phlegmonem dis-
stendens, sed oporteat eam retrahendo euacuare,
id est, per eandem uiam per quam ea copia incom-
mode defluebat, quæ uia nequit esse minor, quàm
uena quæ peculiariter alit partem inflammata.
Altera uero defluxio primum non omnino & in-
commode, & præter naturam fit, neq; enim mor-
bum necessario facit, quoniam is humor euacuari
potest sine ullo detrimento ab ea parte, uersus quā
fit defluxio, alia uidelicet uena incisa, ut humerali
in angina, præter naturā autē esse incipit, quando
subijt uenā fauces peculiariter alentē, deinceps hæc
defluxionē quouis modo sisti quantū ad phlegmo-
nem attinet, satis est, ubi enim cōstiterit, nullo pa-
cto phlegmonē aut implebit, aut distēdet. Demū si
uacuanda

uacuanda sit, non solum in aduersum retrahi, sed
in latus deriuari potest, citra morbi generationē.
Defluxio enim, non est per se præter naturam, &
ut morbus, sed ex accidenti quando fit morbi cau-
sa, eius scilicet qui in quantitate consistit, uel per
excessum, uel per defectum, huius, ut in euacuat-
ionibus immodicis, illius, ut in tumoribus præter na-
turam, sanguine scilicet non euacuato immodice,
sed in unam partem aceruatim translato. Ergo ex
superioribus promptum est colligere, non posse fi-
eri retractionem, sanguinis missione per propiora,
quàm si incidatur ampla uena, cuius origo con-
iunctissima sit, origini uenæ quæ peculiariter alit
partem ægram, à qua retrahere propositum est,
uitatis iam dictis incommodis, ut in angina dex-
tra, si incidatur humeralis brachij dextri, est enim
propago uenæ iugularis, cuius altera propago
alit fauces, ubi fit angina, & hanc retractionis spe-
ciem, plurimum & citissime à loco phlegmonem
patiente euacuare satis constat. Cuius causam red-
dit Galenus libro de cōstitutione artis medica-
lis, cap. decimo septimo. Quoniam ex uicinioribus
& cōmunioribus patienti particula uenis, fit eua-
cuatio & optima, & facilis. Plurimum igitur iu-
uare statim ab initio apparebit, sed forsitan subse-
quetur periculum, ne à communibus totius corpo-
ris uenis attrahendo, iterum phlegmonem offen-
dat, de

dat, de quo posthac dicemus. Alter retractionis terminus est, uena edirecto distantissima, ut in angina dextra, mallcolus dexter, non autem sinister, non solum propter distantiam, quæ utriq; est par, eundo per uenam cauam, sed quia nature motus edirecto fiunt, ut comperit experientia. Rectitudinem dico, non solum mathematicam, sed nature, quæ fit per uenarum filamenta. Cuius rei causam reddit Galenus libro tertio, de uiribus naturalibus, nam per corporis medium eundo, rectior uia mathematica esset, à brachio dextro ad crus sinistrum, quàm dextrum, ubi tamen utrunq; crus intumescit, incisa uena brachij dextri, detumescit crus dextrum, sinistro nullam utilitatem sentiente, non igitur à sinistro fit retractio. Similiter in febribus acutis, intumescente utroq; uiscere, hepate & liene, incisa dextri brachij uena, soluitur iecoris tumor, & dolor, non autem splenis, paulatim tamen in alterum latus lien se exonerat, & interdum pleuritidem efficit, ut in Bartholo medico obseruauimus, uiro longiore uita digno. Item sanguis de nare dextra profluens, soluit iecoris solius dolorem, lienis autem, de sinistra. Ex quibus constat, humorum defluxum in uena caua, seruare positionem dextri, & sinistri, ut expedite fiat. Hoc autem retractionis genus quod per distantissima efficitur, quoniam mouet totam humorum molem totius corporis, &

poris, anteq̄ quicquā euacuando retrahat à loco
 inflammato, idcirco non nisi tarde & imbecilliter
 à loco dolente retrahit, ut ante dictum est, & pro
 inde si paulo uehementior fuerit defluxio, ut in
 morbis acutis, uix sistere ipsam poterit, nedū eua-
 cuare à loco dolente, sed neq; defluxionis causam
 aufert, cum sit in loco ipsi phlegmone uicino, eua-
 cuatur autem uicinus sectioni sanguis solū, quam-
 uis distantior retrahatur. Vt ergo omnia ex uoto
 succedant, sola benigni sanguinis exuberantia tol-
 lectur, alias autē defluxionis causas, prauitatē hu-
 morum, calorem, dolorem, remanere uerendū est,
 ac postea iterū insurgere ad defluxionem mouen-
 dam. ¶ Cæterum nūc discutiamus, utrum retra-
 ctio facta per uiciniora, uim habeat postea imple-
 ndæ partis uicinæ, in hoc enim causæ cardinē uer-
 sari pleriq; forsitan non immerito putabunt. Ergo
 tuo Auicennæ, uenæ sectio facit decurrere humo-
 res, sed donec quiescant tantū, & ante Auicennā
 ait Cornelius Celsus Latinus Hippocrates habi-
 tus, Neq; ignoro quosdā dicere q̄ longissime san-
 guinem inde ubi lædit, esse mittendū, sic enim auer-
 ti materiæ cursum, at illo modo in id ipsum quod
 grauat, euocari, sed id ipsum falsum est. Proximū
 enim locū primo exhaurit, ex ulteribus autem ea-
 tenus sanguis sequitur, quatenus emittitur, ubi is
 suppressus est, quia non trahitur ne uenit quidem.
 Et pau-

Et paulo post, Avertitur quoque interdum sanguis e
ubi alia parte prorumpens, alia emittitur. Desinit e
enim fluere qua uolumus, inde obiectis qua pro- e
hibeant, alio dato itinere. Verum sectis non ser- e
uio, neque scriptorum opinione, sed euidenti ratio- e
ne urgere, inque uicem urgeri uolo. Ergo menses
ciet, sanguis de talo siue malloco detractus, &
proinde huiusmodi sanguinis detractio, plus eli-
cit, quam euacuet, impletque uteri uenas. Rursus
mensium profluuium profluuiio sistitur, ergo non
omnis sanguinis euacuatio postea implet partes,
unde sanguis emittitur. Sed quodnam erit harum
discrimen? Certe de ipsius rei natura poterimus de-
prehendere, hoc modo. Facultatis contentiue du-
plex est officium, uidelicet continere alimentum
ne effluat, & contentum comprehendere circum-
quaque amplectendo contractus gratia, dum conco-
xio perficitur. Hinc enim in uiuorum animalium
dissectionibus uidemus uentriculum & intestina
circa cibum siue multus sit, siue paucus, contracta
& attigua semper, incisa autem uena uis conten-
tiua in primo officio permanere non potest, efflu-
itque sanguis dato itinere, cui rei adiuuat secundum
officium, amplectendo enim sanguinem, uena com-
primit & exprimit. Rursus dolor ob uincula uim
expultricem incitat ad expressionem, hinc sanguis ua-
cuatur interdum ualide erumpens, aliquando languidius
Exhausta

Exhausta autem parte proxima, eius uis attractoria ob indigentiam incitata, sanguinem à distantioribus per continuitatem exugit, illæ redundantes, uel multitudine, uel humorum uitio, non solū tractui cedunt, sed sua ui expultrice, quod grauat pellunt. Indigentiam uero patientes tractibus ob sistunt, ui non minore sanguinem retinētes, quàm ab alia trahitur. Inde fit interdum, ut uena aperta supprimatur sanguinis fluxus sua sponte, natura uidelicet retrahente. Neq; enim facile accessero rudi & indoctæ opinioni multitudinis existimantis sanguinem defluere & decurrere per uenas, per corporum consequentiam uitandi uacui nomine, quoniam hæc consequentia locum habet, ubi per firmum ac durum canalem fit attractio. Venæ autem ob mollitiem, in se concidere manifeste possunt. Hæc tamen opinio quanquàm ridicula est, si etiam uera esset, nobis non aduersatur. Hæc omnia postulata luculentissime ostenduntur à Galeno libro tertio de uiribus naturalibus, præter pauca de dolore ex decimotertio therapeuticæ repetenda. Constat igitur in simplici sanguinis missione, ubi non est alia attractio quàm quæ sequitur euacuationem, neq; adest ulla redundantia in partibus ulterioribus sanguinem transmittentibus, neq; in quantitate neq; in qualitate, plus euacuari ex partibus sectioni uicinis, quàm ex ulterioribus.

ribus, et occluso uulnere, uiciniores partes semper
remanere magis inanes, quàm distantiores, ab
æqualitate enim non fit actio in attrahendo, neq;
pellendo. Transmittitur sanguis, ablati uidelicet
expulsionis causis, à partibus transmittentibus,
magis uacuas intelligo, siue mediocritatis compa-
ratione, & ut Galenus scribit, duobus æqualiter
esurientibus non subtrahet manu panem alter ab
alteri, nisi ualentior, sed satiatio & negligenter ob-
seruanti etiam imbecillior. Rursus igitur ubi par-
tes posteriores redundant, aut quantitate sola, aut
etiam uitiosa qualitate, non impedit post sangui-
nis missionem uicinas sectioni partes impleri plus
quàm earum natura exigat, defluit enim sanguis
non solum tractus, sed etiam pulsus ob redundan-
tiam, & præsertim si non simplex uenæ sectio fue-
rit, sed plus trahat quàm euacuet, ut scarificatio-
nes, cucurbitulæ, uinculi, aut alterius similis causa.
Igitur sanguinis de crure detractio, interdum ciet
menses, impletq; uteri uenas, interdum fluxionem
retrahit, & easdẽ uenas euacuat, occurrens phleg-
mone generationi. Hoc enim Galenus asserit lib.
de uenarum sectione, ubi in uteri phlegmone pro-
hibet incidi, cubiti uenam, iuuari autem ait sang-
uinis de crure detractioibus, de quibus ait. Eis ue-
ro quæ à cruribus sunt, non solum reuulsionem
siue antispasim facere, sed & menses ciere inest.

D

Cuius

Cuius hæc est ratio, quia corpore humoribus re-
dundante, ut eo tempore quo solent per naturam
profluere menses, uel triduo ante, si uis excretoria
sui muneris oblita nõ impellit deorsum humores,
excitari poterit parua euacuatione de crure facta
sed frequenti & quæ ualidius trahat quàm euacu-
et, ut factis scarificationibus, & adhibitis cucur-
bitulis, qua expultrice incitata & inuēta deorsum
uia. Primum uenæ uteri implebuntur, deinde facta
purgatione exuperantis humoris, cessabit fluxus.
Verum ubi adest phlegmone, & corpus acute
purgatur ab omni redundantia, incisa poplitis ue-
na cessat impetus facultatis excretoriæ, eius uide-
licet sublato argumento. Et sanguis regreditur
per uteri uenas à phlegmone in uenam cauam,
quod est retractio, potentior equidem quàm à cu-
bito, sed minoris materiæ morbum uim facientis.
Et hoc discrimen ex ipsa serie Galeni intellige-
re promptissimum est. Item ubi materia uersus ali-
quam partem fluit, ut ad fauces, facta uersus eam
partē totius corporis euacuatione antispastica
per uiciniora, ut incisa uena humerali eiusdē late-
ris, si corpus acute purgetur auferendo totā mate-
riā excrementitiā, fluere oportunā, sistetur deflu-
xio. Si uero nõ exquisite euacuetur exuberantia,
defluxio quāuis minime sistatur, reddetur tamen
minus uiolēta. Ablato enim uirtutis excretoriæ ar-
gumēto

gumēto nullus fiet ab eā pulsus, rursus quoniā uis
expultrix tota est in actū, decrecente eius materia
minus incitabitur, & proinde minus pellet præter
naturā, nam effectūū crementa & decrementa, cau-
sarum crementa & decrementa sequuntur. Sisti in-
telligo, quantū ad pulsum. Exquisitæ euacuatio-
nis indiciū ponitur, sanguinis mutatio. Constat igitur
in phlegmone, ubi sanguis mittendus est, eius
generationi semper occurrere antispasticam san-
guinis missionem, per uiciniora præsertim, acute
factam & inter initia, sistit enim expulsionem fa-
ctam à uenis cōmunibus totius corporis, detrahen-
do expultrici argumentum, euacuat etiā retrahen-
do, plurimā copiam recentis redundantie conten-
tæ, & in uenā quæ peculiariter alit partē inflam-
matam, & in ipsa phlegmone, utpote nondū adeo
infarctam aut infixam aut etiā à naturæ suæ con-
sistentia adeo remotam, quin possit in uenas regre-
di, per easdē uias per quas antea defluerat, sicq̃
saltē secūda uenæ sectione foras expurgari, recenti
scilicet phlegmone se paulatim exonerāte in partē
uacūā, unde primo sanguis mittebatur, præsertim
exugentē, unde, cōuertitur facultatis excretoriæ
impetus & in ipsam phlegmonē, et in uenā quæ ip-
sam peculiariter alit. Altera igitur sanguinis missi-
one ex eadē uena, expurgabitur id semicorruptum
quod ex corporis habitu in uenas paulatim redierat.

D 2 Hanc

Hanc sane rationem à Galeno accepimus libro quarto, de tuenda sanitate, ostendentem bis sanguinem esse detrahendum, quod & experientia ipsa docet esse utile, ut ibidem ait. Itaque quoniam plurimum euacuatur à phlegmone, tollitur dolor, quæ multitudo soluens cõtinuitatem efficiebat, tollitur quoque calor multi calidiq; sanguinis indifflati alienus. Euacuationis enim intentio in phlegmone, ut Galenus ait, intentionem refrigerationis superat contra, quàm in herisipelate, adeo ut calida medicamenta uacuandi ratione refrigerent. Quoniam igitur calor & dolor defluxionem trahebant, pelebant autem aliæ partes copia aut uitiosa qualitate humorum incitatæ, his defluxionis causis uel omnino ablatis, uel apprime imminutis, cessabit defluxio, obsistente ac retrahente natura aliarum partium uehementer euacuarum, & indigentia sanguinis patientium, præsertim adhibitis distantissimæ cuius parti uinculis, scarificationibus, aurbitulis, & frictionibus, ipsi uero phlegmone, refrigerantibus, ac reprimentibus, aut laxantibus, prout fert natura patientis particula, & intus ingestis, quæ uim habeant refrigerandi ac spissandi sanguinis, & proinde sistendæ defluxionis, hæc si nõ contulerint, spes est in angusto, neque tua præsidia quicquid prodesse poterunt. Galenus libro dccimotertio therapeutice. Nunc ad sermonem de phlegmone reuert.

ne reuersi, dicamus communem omnium phlegmo-
narum curationis indicationem esse uacuationem.
Quæ uero adhuc in generatione sunt, in his prior
euacuatione est, confluentis ad affectum locum,
sanguinis inhibitiō. Inhibetur autē is commode, si
ipsam fluxionis causam inuenerimus, sane duplex
est, aliquando enim ex ipsa parte quàm phlegmo-
ne uexat, oritur, aliquando ex alia quapiam alijs/
ue, ex ipsa, quoties aut calidior est facta, aut dolo-
re urgetur, non ex ipsa, quando uel alia quapiam,
uel alijs, superfluum illi transmittitur, uel etiam
ex totius corporis affectu. Et paulo post, His igi-
tur omnibus æstimatis, quæ phlegmone adhuc in ge-
neratione sunt, earum causas prius abscindes, quæ
uero iam factæ sunt, has utiq; curabis solas. Prius
inquit, naturæ ordine, non semper tempore, ut ui-
detur Auerrois inepte accepisse, ubi enim simul
tempore, & eodem præsidio utriq; succurri potest
multo est præstantius, quod idem Galenus postea
scribit. Porrò interdum (inquit) iisdem remedijs
ambo tolluntur, & reliqua. Et sic nemo dixerit cui-
dentissimum est. Hac exquisita euacuatione & cu-
randi ratione in morbis acutis utendum est, sed in
leuioribus inflammationibus, licet sine exquisita
euacuatione quouis modo totam humorum molem
in uenis communibus contentam, in aduersum con-
uertere, etiam ex distantioribus partibus, quamuis

D 3 tarda

tarda & imbecillis retractio à laborante particu-
la fiat, nam si inflammatio etiam ad suppuratio-
nem perducatur, in his nil periculi imminet, &
id in morbo acuto perniciosissimum est. Porrò im-
becillitas sequens acutam euacuationem, deterior
est leui phlegmone, ut in crure, etiam ad suppura-
tionem perueniente. Summis enim morbis summa
remedia diligentissime sunt adhibēda, ut ait Hip-
pocrates, sed de his posthac apertius differemus,
Nunc recenseamus tuorum postulatorum probati-
ones, ex dictis enim responsio peruia erit.

¶ Secunda tua suppositio erat, quod retractio
fieri debeat ad longinqua, fateor, sed non omnis
ad longinquissima, non enim ea quæ fit sanguinis
missione, ut ostensum est, ubi tamen conuenit re-
tractio, detur semper fieri aliqua debere per distan-
tissima, nihil tamen pugnat, quin simul aliqua fi-
at per uiciniora, ubi scilicet ualidius est retrahen-
dum, uel etiam simul euacuandum ac retrahen-
dum, fieri enim euacuatio sanguinis, per uiciniora
postulat, sed frictiones & uincula, fient etiam in
distantissimis. Hanc non ratione, sed autoritate
confirmare niteris, primum Galeni libro decimo
tertio therapeuticæ. Siquidem (inquit) longissime
à tentata fluxione parte, nequaquam ad eam tra-
here conuenit. Hoc uerbum longissime, retractio-
nem efficiendā esse significat, non tam per partes
distanti-

distantissimas à loco inflammato, quàm in diuer-
sissima, & e contrario quàm fieret defluxio, ut al-
bum & nigrum cum sint contraria, plurimum di-
stant sub eodem genere, non quidem distantia po-
sitionis, sed naturæ. Item plurimum distant ac in-
diuersissima fiunt, defluxio quæ fit ab a in b, &
retractio, à b in a. Neq; nos sanguinem attrahi
ad locum dolentem, sed ab eo in aduersum retrahi
iubemus, etiam si nihil impediat ad partes distan-
tissimas, uinculis, & frictionibus, & cucurbitis
euocamus, non autem sanguinis missione, utpote
euacuationi dicata, quæ non nisi per uiciniora fie-
ri potest. Demum id scribitur, de retractione medi-
camentis facta quæ per distantissima fieri debet,
ut ostensum est, sed præstiterit seriem totam refer-
re. Non ratio solum, inquit, uerum usus ipse indi-
cat, aliam alij parti uacuationem cõgruere. Siqui-
dem ex his quibus oculi phlegmone tentari cœpe-
rant, nonnullos sola purgatione per aluũ, uno die
sanatos uidisti, quam rem si quis in iocinore cum
phlegmone laborare incipit, tentet, maximam ex-
citabit phlegmonem, æque ut si cum in renibus,
aut uesica incipit, quæ urinas cient exhibeat, aut
si cum uterus phlegmone laborat, menses deuo-
cet. Siquidem longissime à tentata fluxione par-
te auellere, nequaquàm ad eam trahere conue-
nit. Hac itaq; ratione, nec si uentrẽ aut intestina

> phlegmone occupare iam coeperit, medicamine
 > quod aluum deiciat, uti conueniat. Eandem cum his
 > indicationem & uterus sortitur, sicuti cum urinae
 > uasis putēda. At uomitu uti pudibundis laboran-
 > tibus in diuersa reuellens auxilium est, Graeci an-
 > tispasticon uocāt. Eadem ratione in omnibus quae
 > circa caput accidunt, purgatio ad contrarium a-
 > uertit. Si qua uero circa fauces, aut palatum, aut
 > linguam, aut deniq; in ore phlegmone laborare in-
 > ceperint, in his omnibus cauenda sunt, quae per os
 > pituitam euocant, apophlegmatismos uocant.
 > Quippe cum id simile sit ac si deijcere aluum in-
 > testinis egrotantibus uelis, aut urinas mouere, cum
 > renibus aut uesicae sit egre, aut uomitum lacesce-
 > re, cum partes stomachi sint afflictæ. Haftenus a-
 > perte loquitur de purgatione quae fit, de medica-
 > mentis nocentibus, uidelicet calefaciendo, irritan-
 > do & laxando uicinam laborantemq; partem, Et
 > ut nemo nisi cæcus, transferret ad uenae sectionē,
 > continuo subiungit. Satius igitur sit ubi partes
 > quae in ore sunt, phlegmonem accersere coeperint,
 > deriuare ad nares, pari modo uenam quoq; ubi hæ-
 > partes sic laborant, incedere. Humeralem in ma-
 > nu, si ea non cernitur, mediam, ubi iecur, pectus,
 > pulmo, aut cor, sic afficiuntur, internam. In angu-
 > na, quam synanchem uocant græce. Primas in ma-
 > nibus, secundas eas quae sub lingua habentur. At
 > his quae

his quæ in occipite sunt, sic afflictis, etiã eam quæ e
in cubito est, nec non eam quæ habetur in fronte. e
Renibus uero, & uesica, & putendo, & utero sic e
habentibus, eas quæ in cruribus sunt sitæ, ac potis e
simum quæ circa poplitem sunt. Sin minus, eas e
quæ sunt iuxta malleolum, ac perpetuo quidem in e
omnibus quæ edirecto est, ubi iecur phlegmone in e
uadit, quæ in dextra sunt manu, ubi lienem, con- e
trâ. Hic textus tuam opinionem euertit, docēs san- e
guinis missionem, in morbis acutis ob phlegmo- e
nem, potius conuenire, purgatione antispastica, e
eamq; non per distantissima moliendam esse, sed e
per maxime uicina, permanente retractionis rati- e
one. Et inter inflammationum initia, ubi retra- e
hendum ac euacuandum simul sanguinem paulo e
ante dixerat, eandem secundo de arte curatiua ad e
Glaucōnem præcipit, rationem subiungens, quur e
huiusmodi uenæ incidantur. Hæ enim inquit, uici e
niores magisq; edirecto sunt, patiētibus membris. e
Quod parum tuæ opinioni congruit. Sed etiam ti e
bi palma concedatur, nisi ex eius uerbis euidētē e
rationem meæ eandem attulero. Itaq; incipiente e
phlegmone in ore, faucibus, aut capite, primum in e
cidi iubet humeralem uenam eiusdem lateris, si e
ue edirecto, utpote proximam, per quam simul tot e
tum corpus euacuari, simul retractio fieri possit. e
Est enim coniunctissime originis cum uena quæ
D S caput

caput alit, ex partitione iugularis, deinde perpe-
culiars uenulas deriuat, ubi tales incidi possunt.
Incipiente autem phlegmone in renibus, uesica,
pudendo, aut utero, secatur poplitis uenam eiusdem
lateris, siue edirecto, utpote proximam, per quam
amplo itinere fieri retractio possit, hac uero non
comparente, malleoli siue tali uenam. Incipiente
demum phlegmone in partibus interceptis inter
cinctum & collum ut in iccore, liene, corde, pul-
mone, aut pectore, cuiusmodi est pleuritis, de qua
nunc precipue contendimus, secunda est uena in-
terna, quæ nunc basilica dicitur, sed eiusdem late-
ris siue edirecto, utpote maxime uicina, & per quam
totum corpus euacuetur, tum plurimum à par-
te laborante in uicinas retrahatur. Duo sunt quæ
in hac serie sophistæ peruersa interpretatione cor-
rumpere nitentur, quos & tu imitaberis. Primum
uenam internam intelligi non brachij, sed cruris,
quam saphenam appellant, & sic Auicennam hunc
locum accepisse, & idcirco de saphena eiusdem la-
teris sanguinem primum detrahere, ita enim cen-
ses. Secundo edirecto dici, non brachium dextrum
pleuritidi dextræ, sed sinistrum, & ita Rasium iu-
dicasse, hunc & Auicennam primo de saphena
eiusdem lateris, deinde de basilica lateris aduersi,
sanguinem mittere iussisse, & tertio ex eius bra-
chij media uena, bis enim ex brachio eodem detra-
hendum esse

hendum esse sanguinē à Galeno præcipi libro de
phlobotomia. Et certe mihi rem altius repetenti
sæpe uerisimile uisum fuit, has fuisse causas erro-
ris Auicennæ profitentis se Galeni interpretem,
quod de retractione tanq̄ de una specie loquendū
putaret, neq; diuersarū specierū diuersas uires per-
penderet. Et cum adduci nō posset, ut crederet Ga-
lenum tam obliuiosum fuisse, ut uix tribus lineis
interiectis sibi repugnaret, iubens nūc retractionē
fieri per distantissima, nunc ferè per proxima, ad
peruersas interpretationes confugisse, & cōsulto
Galeni nō intellecti uerba silentio præterijisse. Ve-
rum, utcumq; se res habet, perseuerat instantia de
partibus capitis phlegmonē patientibus, et de par-
tibus infernis. Nostræ præterea partes erunt, osten-
dere non solum ex rei natura, sed ex Galeni uer-
bis, quod uena interna intelligatur brachij, nō cru-
ris, & quod edirecto intelligatur dextra dextris,
& sinistra sinistris, saltē hoc loco & quòd neq; tu
Galeni intelligas, neq; Auicenna aut Rasius si ea-
dem tecū sentiāt. ¶ Galenus lib. aphorismorum
6. cōmentario. 36. huius aphor. Difficultatē uri-
næ uena secta iuuat, secare uero interiores. Reue-
ra enim et uenæ sectio soluit difficultatē urinæ, illā
uidelicet, quæ ppter inflātionē, et multitudinē
fit. Quod autē dicitur, Secare uero interiores, si de
uenis manuum dicitur, caret ueritate, neq; cōfessum
Hippocrati

▷ Hippocrati uidetur . Siquidem in omnibus libris
▷ suis in partibus quæ supra epas sunt, ex manibus
▷ sanguinem mittere. In inferioribus autem, eas quæ
▷ in genu, uel talo sunt, secari iubet . Si uero de his
▷ ipsis, ipsum dixisse arbitretur. Secare autem inte-
▷ riores, hoc dictum, parua uim habet. Ab una enim
▷ ambæ nascuntur, cum ea quæ in genu est, trifaria
▷ diuidatur, quoniam & una uena ad hoc peruenit
▷ membrum, non sicuti ad manum duæ. Melius itaq;
▷ sit & hunc aphorismum unum ex adiectis opinari.
Ex hoc commentario colligo in phlegmone ue-
sicæ unâ cum corporis plenitudine, non conuenire
sanguinis missionem ex brachio, sed ex crure, quâ
constat debere esse antispasticam euacuationem,
quod tuæ suppositioni aduersatur. Deinceps in
uniuersum nunquam per distantissima mittendum
esse sanguinem, cum retractio fieri possit per uici-
niora, saltem in internis inflammationibus, quæ
continuas febres afferunt. Demum per uenam in-
ternam secundum Galenum non recte significari
uenam tali interioris, tanq̃ superuacue adijciatur,
interna, utraq; uidelicet eandem uim obtinente, &
tali interioris, & exterioris, & idcirco colligit,
hunc aphorismum esse suppositiuum, ob insolentē
locutionem solū. Hinc semper iubet sanguinem des-
trahi ex poplite, aut ex malleolo, siue talo, sine
determinatiōe interioris aut exterioris. Neq; mea
interest,

interest, utrum eandem uim habeat uterq; malleo-
lus, ut Galenus censet, utrū diuersam, ut in coxena-
dicum doloribus Rasius putauit, nō enim nunc de
re contendimus, sed de nominis usu apud Galenū,
nihil autem prohibet post Galeni tempora aliquid
fuisse per experientiam inuentum. Deinde ipsa se-
ries ostendit, etiam sine alio testimonio, saltem ho-
mini minime deprauato, uenam internam, intelli-
gi brachij, non cruris, & edirecto dici, dextra dex-
tris, & sinistra sinistris, ex eo quod subijcitur,
quod superiorum interpretatio est, uidelicet, Vbi
enim iccur phlegmone inuadit &c. Item nominat
tali uenam & uenam internam tanquā duas,
non tanquā una esset. Demum paulo superius
dixerat, hanc seriem esse summariam repetitionem
corum, quæ libro de phlobotomia scripsit, ubi ue-
nam internam, exponit esse eam brachij uenam,
quam nunc basilicam uocamus, sed edirecto pleu-
ritidis uenam, à Galeno appellari quæ in eodem
latere consistit. Iterum apertius ex uerbis Galeni
ostendam, ubi priuatim loquar de pleuritide, ita
enim garrulus colophonem imponam, nunc ad se-
cundam auctoritatem dicamus. Galenus libro de-
cimo tertio therapeuticae. Sed ad partes (ait) quæ
maxime longinquæ sunt, semper auersionem faci-
es. Hunc locum antea citauimus, ostendimusq; in-
telligi de retractione, quæ fit medicamentis puri-
gantibus,

gantibus, frictione, exercitatione in summa, ijs quæ
phlegmonem ex accidenti offendunt motu, calore,
aut implendo vicinas partes, uel quouis modo irri-
tando, non de sanguinis missione per insignem di-
stantiam, ex qua nullum ex accidenti subsequitur
huiusmodi nocumentum, sed & omnia hæc, uel
omnino tolluntur, uel certe multo meliora fiunt,
& totum corpus euacuatur, sed hæc tibi sunt, alba
linea in albo lapide. Tertia authoritas est Galeni
▷ quinto therapeuticæ, hæc. Antispasis uero in ijs
▷ quæ supra sunt omnibus, deorsum semper agitur,
▷ sursum in ijs quæ sunt infra. Præterea à dextris
ad sinistra, sicut ab his, rursus ad illa, similiter ex
his quæ intus habentur ad ea quæ foris sunt, con-
traq; ab his ad illa, eadem scribuntur aphorismo-
rum libro quinto, commentario sexagesimo octa-
uo. Ex quo intelligitur, retractionem esse ab occi-
pite ad frontem, quæ distantia, minor est quàm à
mamilla dextra, ad brachium dextrum. Verum
ex textu quem citas, colligere debuisti, non omnẽ
reuulsionem peruenire ad distantissimas partes,
retractionis enim species ponit pro exemplo, &
uenæ in dextro brachio sectionem, & cucurbitulã
iocinori appositam, sanguine de nare dextra flur-
ente. Ergo ut antea exposuimus, aliud est deor-
sum agi, aliud ad infima peruenire, lapis enim de-
orsum fertur, etiam si per paucum spaciũ, neq;
ad mun

ad mundi medium peruenit. His autem uerbis in-
telligit retractionem fieri contrario modo, quam
fieret defluxio. Quartam & quintam authorita-
tem Galeni citas libro de arte curatiua ad Glau-
conem, uerum ille liber quem citas, non est Gale-
ni, sed eiusdem nugatoris Arabis, aut alterius, qui
sua commenta quibusdam Galeni fragmentis con-
fundit, nos uero legitimum habemus & Græcum
& fideliter à Leonicensi traductum, nostra cura
Parisius impressum, Sic legitur. Non diuersis lo-
cis, sed continuo, Veluti in ea de qua nunc agitur,
dispositione (intelligit phlegmonem) ad genu flu-
xus deferatur, atq; hoc subito plurimū attollatur,
tibi uero totum corpus plenum sanguine appareat,
& ualida laborantis uis, tempus autē anni sit uer,
regio temperata, æger uero sit adolescens aut iu-
uenis, is sanguinis euacuatione ex superioribus par-
tibus indiget, oportetq; incidere, eius in cubito ue-
nam, aut scilicet interiorē, aut mediā. Si uero pars
aliqua superior pateretur, per inferiora sanguis est
educendus, semper enim fluxionis motū ad cōtrariū
trahere expedit. Hæc omnia & uera sunt, & no-
bis cōsentiūt, nā uersus cōtrariā partē q̄ fieret de-
fluxio, fit retractio, ut si pars superior patiatur, uer-
sus inferiora, nō semper ad infima usq; ut in fluxu
sanguinis de naribus, incisa cubiti uena. Sicq; ad
quartā authoritatē satisfactū ē, quinta aut quartæ
est eadem


est eadem, & nobis ualde consentit. Neq; enim ul-
la uena est, quæ saltem incidi ratrahendo possit,
quam uena brachij interna, deinde media, sed edi-
recto, siue eiusdem lateris, non (ut tuus nugator
de suo adijcit) aduersi. Nil enim absurdus Gale-
no imponi posset, qui oppositum eodem libro præ-
cipit. Adde quod non eadem est retractionis uehe-
mentis ac uelocis necessitas à loco dolente in arti-
uum inflammationibus, & uiscerū morbis acu-
tis. In illis enim satis est quouis modo sistere uena-
rum cūmunium humores, neglecto loco patiente,
utpote cui reprimentia ac digerentia illita, suppu-
rationem prohibebunt. Neq; ex suppuratione peri-
culum imminet, etiam si superueniret, in uiscerū
autem inflammationibus, utpote morbis acutis,
contrà. Et hæc indicatio sumitur ex morbi magni-
tudine. Neq; enim eodem modo tractādi sunt ma-
gni morbi, & parui. Hic enim, priuatim de artuū
inflammationibus & uiscerum scribit, aliam alij
curationem præscribens. Sexto, adducis Galeni
sententiam, libro therapeutice quinto, qui reuul-
sionis exemplum adducit, hoc modo. Ita nanq; &
natura ipsa facere solet. Mulieri enim inquit Hip-
pocrates, sanguinem uomentis menses superuenien-
tes remedio sunt. Eodem loco retractionis exem-
plum ponit factæ per cucurbitulas & sanguinis
missione, non ex locis distantissimis, ut diximus
supra

supra. Sed neq; negamus retractionem fieri posse
per distantissima loca, & hanc omnium simplicis-
simam, ac ueluti aliarum retractionum exemplar
esse proponimus, sed ad quædam non satis effica-
cem esse, ac ueluti segnem. Idcirco à ualentiori-
bus adiuuari intelligimus, quamuis minus simpli-
cibus, ac ueluti quadam alia natura commixtis,
deriuationis scilicet. Interdum etiam simplici il-
la retractione uti non licet, ob contrariam indica-
tionem ut subitæ euacuationis, à laborante parte,
aut futurorum mensium suppressionem. Demum
hæc retractio à natura facta, non fit per grande
spatium, sed solum per uenas quæ uterū cū uen-
triculo coniungunt, tamen ecōtrario quàm fieret
defluxio. Neq; enim reuellitur aut remeat ad ute-
rum humor, qui ad cauernam uentriculi contine-
tur, nedum ille qui per gulam euomitur. Hic ergo
locus mihi fauet. Demum adducis Auicennæ sen-
tentiam, quæ mihi patrocinator, ut antea exposi-
tum est. Iustius ergo postulasses in morbis acutis
ex defluxione sanguinis, simul totum corpus uac-
uandum, simul uehementer ac celeriter retrahen-
dum sanguinem, ac remeare cogendum, ex habi-
tu partis inflammatæ, in communes toti corpori
uenas, deinde subintulisses. Igitur per uiciniores
amplioresq; uenas retrahendū, & edirecto in hu-
iusmodi uiscerum inflammationibus acutis. Fa-
E teor igitur

teor igitur in huiusmodi defluxionibus, nequaquam
trahendum esse, ad phlegmonem usque, sed semper
ab ea reuocandum sanguinem, adeo ut si nihil ob-
stet, utili sit ad distantissima deducere, non tamen
necessarium, perfecta enim retractio est, ubi ad me-
dium deuentum est, ut ad iecur secundum longitu-
dinem, & ad uenam cauam, secundum latitudinem,
est enim integra ad statum naturalē reductio, suffi-
ciens uero plerumque infra subsistit. Tertia tua sup-
positio, fuit, antea à me exposita, & recto intelle-
ctu concessa. Ad primam & secundam authorita-
tem dictum est antea, tua tamen barbara paraphra-
sis, à uerbis Galeni euariat, sed nos uerum citauimus,
uidelicet, Quare nunc quoque si etiamnum
fluxio &c. Item, Quinetiam cum maxime influ-
it, & cetera, & illic de medicamentis agit, non de
phlebotomia. Tertia authoritas etiam antea ad-
ducta est, non secundum barbaram paraphrasim,
sed & græce, & secundum legitimam traductionem,
græce, autem citauimus, ne quis existimaret
dari diffinitionem deriuationis, quod fieret ad uici-
cina, eius enim ratio est quod fiat, ἐπι πλευρᾶν.
id est, in latus, ut ex alio textu intelligitur à nobis
citato. Motuum enim ad inuicem comparatorum
differentiæ, oppositæ sunt, non equidem quod hi
ad cōtraria fiant, illi ad uicina, sed quod hi in con-
traria, siue econtrario, illi uero in latus fiant, alter
alterius

alterius cōparatione, siue in transuersum, siue ex
 obliquo, ut posito angulo recto abc , quem secet
 recta linea bd , motus à b in c , & à c in b , sunt con-
 trarij ad inuicem, & in contraria fiunt, siue mag-
 num sit interuallum, siue paruum, etiam totus toti
 & totus parti, sed motus à b in c , & à b in d , di-
 cuntur fieri in latus alter alterius, sed hæc taceri
 poterant hoc loco. ¶ Nunc audiamus quæ sequun-
 tur. Prædicta tamen (inquis) habet uerū, nisi & c.
 O hominis stupendam sapientiam pariter & dili-
 gentiam, ne quis aliquid calumniari possit. Posita
 regula, exceptiones enumerat, sedulissimos gram-
 maticos imitatus, quorum leges loquendi cū sint
 arbitrariæ, utpote ex usu & obseruatione sumptæ,
 fieri nō potest, ut sint omnino uniuersales, & pro-
 inde ad artis absolutionē, pauca aberrantia enume-
 rant, sic ab hac lege paucos, ueluti rebelles milites
 exauthorasti, ut omnia essent pacatiora. Verū dic
 quæso, hæc legē & has exceptiones unde rescisti?
 ab experientiaue & obseruatione, an potius ex rei
 natura per demonstrationē? Si per experientia in-
 uenisti, aut iudicasti, per experientia inuenies ex-
 cipiendam esse & pleuritidē. Sed experientia cre-
 dendū nō esse in fine tui codicis affirmas, et uereor
 ne sim tibi iniurius, si te medicū empiricū appella-
 uero, uel etiā dubitauero, logicus enim medicus es
 siue rationalis, nō autem expertus siue empiricus.

E 2 Hæc igitur



Hæc igitur ex ipsa rei natura per demonstrationē
uel tu inuenisti, uel ab alijs inuenta iudicasti. Cæ-
terum ubi logicam didicisti obsecro? Siue rationē
differendi, siue artem demonstrandi, uelis appel-
lare. Neq; enim dubitandum est, quin sub aliquo
ualde crudito præceptore, quisquis ille fuerit qui
te docuit, uel demōstrationis principia, uel demon-
strabiles propositiones instantiā pati, & ab ipsis
tanquā contingentibus aut particularibus, face-
re exceptiones. At si Parisijs rationi differēdi ope-
ram uel minimam nauasses, scire hæc omnia esse
uniuersalia, neq; instantiam aut exceptionem pa-
ti unquā. Quò proficisci, & in primis rudimen-
tis dialecticæ primum exerceri, deinde in penitio-
ri artificio demonstrādi, demum (ut nos fecimus)
docere eadem. Nunc tibi conueniret magis, quā
rationalem medicinam, simulare, & in eos qui ta-
lia fecerunt, imprudenter inuehi. Placet tamen re-
censere has exceptiones. ¶ Si fuerit (ais) mem-
brum transmittens nobile, & recipiens ignobile,
ad eam partem trahere expedit, nō ab ignobili re-
trahere ad nobilem. Colligo igitur, si fuerint æque
nobiles partes, ea ad quā fluit defluxio, & ad quā
fit retractio, inutilem retractionē esse. Sicut enim
illic imminet periculum, ne nocumentum utilita-
te maius sit, ita & hic ne sit æquale. Sunt autem
æque principes partes, & latus dextrum & sini-
strum

strum, ubi igitur pleuritis alterū infestat, non est
materia in alterū transferenda, quod cōtingit de-
trahenti sanguinem ex alterius lateris brachio.
Dextro enim brachio, dextrum latus euacuatur,
deinde transfertur humor uitiosus à sinistro late-
re in dextrum, aliàs nō fit retractio quam inten-
dis. Eadem autem tralata, parem morbum face-
re nata est, quod priore mala deterius est, ut in cō-
trarijs indicationibus æque ualentibus antea ex-
plicauimus, Hanc rationē præsens tibi proposue-
ram, idcirco subijcis responsionē breuem quidē,
sed elegantē & ualde acutam. Forte (inquis) hoc
nō erit, sed forte (inquam) hoc erit. Quod igitur
iuues, uel noceas, fortunæ debes, non arti. Ego cer-
te obseruauī partim per me, partim per amicos,
uno anno in una Parisiorum ciuitate pleuritidis
fermè ducentis transiuisse morbum ab uno latere
ad alterum, hac phlobothomia quam uocant di-
uersiuam, etiam uetulæ, priore lateris morbo ali-
quando tralato solum, aliquando manente, & in
duos partito, & ferè omnes hac ratione curatos
interiisse, alijs celeriter sanatis, quibus edirecto in-
cidebatur brachij uena interna. Fiebat autem hæc
tralatio, hora post uenæ sectionē quarta uel quin-
ta, uel sexta, quibusdā etiam nocte proxima. Hac
admonitione, nonnulli medici relicto uulgari er-
rore, ad ueritatem redierunt. Alij (quibus te simi-
lem esse

E 3 lem esse


lem esse nolim) confusi sunt indubie, omnia tamē
agere maluerunt, quā fateri aut se antea errasse,
aut ab obliquo doceri potuisse, alij ne id quidē con-
siderandum putabant, sed hoc solum ut ea face-
rent, quæ præcipiebantur à scriptoribus, quos sibi
multitudo imitandos proposuerat, sed de his ite-
rum. ¶ Secundo loco excipis materiam ueneno-
sam, & hoc quoq; egregium mendacium est, nisi
ea materia extrorsum & ad cutem uertatur, ut de
herisypellate ab Hippocrate scribitur, ut carbun-
culorum. Tertio ea quæ per crism expelluntur.
Ego his adiiciam quæcunq; commode euacuari
possunt, per ea loca ad quæ natura tendit, siue ut
præseruent a grauiore morbo, siue ut medeantur
iam factō. Hoc enim Hippocratis præceptum est,
quo utitur Galenus, libro secundo, de ratione ui-
ctus in morbis acutis, cōmentario decimo de pleu-
ritidis curatione, ubi dolor & materia ad brachiū
eiusdem lateris tendit. Docetq; retrahendam esse
materiam à loco, ad quem incommode tendit, hoc
est ac ipsa pleuritide, ut à mammilla in uenam car-
uam, dato itinere in eo loco, ad quem natura ten-
dit commode, uidelicet in brachio eiusdem lateris,
hoc enim modo plurimum & subito ab ipsa parte
laborante uacuari, quod in phlegmonarum acuta-
rum curatione propositum est. Sed hæc criseos no-
mine forte intelligis, sed hæc omnia contra te milit-
tant, fortas-

tant, fortassis uero etiã ea quæ dicis, de materia ue-
nenosa. Nam pleuritis materia uenenosa est, si-
tus ratione, uel certe nata est breui fieri uenenosa,
nisi repurgetur tempestiue, secta brachij in latere
affecto uena, sed nolo esse contentiosus. Satius er-
go fuerat hoc modo postulare. Quando materia
fluit præter naturam, implens aliquam particulã,
neq; adest contraria indicatio æque ualida, utile
est, ipsam in aduersum auertere, id est, e contrario
q̄ fieret defluxio, uel si lubet, fac ex uno, duo postu-
lata, ut in primo fecimus, quod & in secundo agen-
dum est. Quæ enim a medicis præcipiuntur, omnia
sic intelligenda sunt (ut Galenus scribit tertio lib.
therapeuticæ) quando nõ adest cõtraria indicatio,
aut minus ualida. ¶ Quarta tua suppositio erat.
In apostemate quod fit, oportet habere intentionẽ
ad partẽ materiæ quæ fluit, & quæ fluxa est, &
quæ parata est fluere. Vt hoc uerũ sit, leue est ista
dixisse, simul enim oportet descripsisse has inten-
tiones, id est, qd unaquæq; significat, hoc enim fe-
cisset medicus ronalis, hoc ego demũ fecissem, neq;
uero Galenus quẽ citas, id affirmat, sed solũ duas
indicatiões ponit. Vbi phlegmone adhuc in gene-
ratione est, hoc solũ significat, quando nulla cau-
sa quæ phlegmonẽ ciere possit in corpore est, huic
tutela debetur, quod uulgo dicitur regimen conser-
uatiuum. Quando uero adest causa, quæ efficere
E 4 aliquam

aliquando possit, nondum tamen ea magnitudine
 est, ut morbum efficiat, huic debetur sola prouisio,
 quod uocatis regimen præseruatiuum. Significat
 autē huiusmodi causa inhibitionem siue prohibi-
 tionem sui, ne increseat maiorue fiat. Quando au-
 tem huiusmodi causa eò magnitudinis peruenit, ut
 iam phlegmonē creet, summoueri desyderat, suiq;
 ablationē significat, quod prouisio est, & ei quod
 phlegmones generatum est, curatio debetur. Ergo
 ponit tres significationes, inhibitionem incremen-
 ti causæ, ablationem causæ efficientis, ablationem
 morbi, neq; id dicit quod fingis, neq; ignoro illa
 uerba eorum quos imitaris, causa antecedens, con-
 iuncta siue continens, & quasi coniuncta, sed nūc
 nolo omnia commenta persequi. Attamen ut hæc
 sint uera, o bone uir, quanta pars est eorum quorū
 oportet habere intentionem? Quoniam enim ea
 quæ sunt secundum naturam, seruari, quæ præter
 naturam, summoueri desyderant, numero compræ-
 hendenda sunt omnia, & à singulis indicationes
 sunt accipiendæ, nam ut Galenus scribit primo ad
 Glauconem, Qui omnia quæ sunt secundum na-
 turam & præter naturam diuisionis artificio com-
 plectitur, atq; ab omnibus conuenientes sumit in-
 dicationes, hic solus, quantum humanis permitti-
 tur uiribus, medendo non errabit. Hanc ergo me-
 thodum aggrediamur, qua nō te solum (hoc enim
 leuissi-

leuissimum est) non solum omnes recentiores me-
dicos, sed omnes demum reprehendere possimus,
si errauerint, neq; enim si sunt boni, per in somnia
medicinā didicerunt, sed per rationem eui-
dentem, aut experientiam, ijdemq;
per easdem redargui pote-
runt aut comprobari.

METHODVS.

ORBVS QVO DE AGI-
mus, est phlegmone, cuius essentiam
complect hęc, redundantia calidi
sanguinis in aliqua particula, & ab
hoc sanguine calida eius intemperatura atq; tu-
mor, deincep sex multitudine & tumore, disten-
dente ac pymente, continuitatis solutio, ex calore
autem & solutione continuitatis, subsequitur dol-
lor, nisi pars sensum omnino difficilem habuerit.
Hęc redundantia, ex defluxione generationem hæ-
bet. Sanguinis defluxio, copiosioris quàm sit partē
ex usu, originem habet, aut ab ipsa parte quam
phlegmone uexat, aut alia quapiam alijsuc, ex ip-
sa, ob calorem aut dolorem. Dolor nascitur, ex in-
temperatura aut continuitatis solutione, ut ob
acrem humorem erodentem, aut distendentē mul-
titudine, uel humoris uel flatus. Defluxionem au-
E 5 tem mo

tem mouet dolor, quia facultas alienorū excretoria suo munere tum fungitur, cum triste aliquid sentit. Vnum uero quoddā est ex ijs quæ eam con-
tristant, ipsa quæ dolorem excitat causa, quæcūq;
ea sit. Hanc igitur eijcere dum properat, phlegmo-
nem interdū in particula concitat. Cum enim pri-
mis suis conatibus nil profecit, uehementius ag-
gressa quod infestat expellere, sanguinis aliquid
& spiritus ex superpositis partibus in afflictam si-
mul exprimit, præsertim si uenæ sanguine redun-
dent, uicinis partibus consistentibus, ac ueluti co-
pias auxiliares ad deturbandū hostem cōmunem
mittentibus. Cæterum huic primæ defluxionis cau-
sæ trahenti, solum sanguinis missio principiū cu-
rationis non est, idcirco hanc dissimulāter præteri-
eo. Defluxionis ac phlegmones, prima causa in
partibus transmittentibus consistens, est humor,
uel copia superuacua, uel qualitate, uel utroq;
nomine grauis. Incitatur enim facultas alienorū
excretoria, huiusmodi alieno oneri. Pellūt autem
partes robustiores, ad imbecilliores, quoad deuen-
tum sit ad maxime imbecillas, hoc modo. Venæ
ampliores, humorē nocentem persequuntur, pel-
lūtq; in minores, & hæ in alias, usquequo ad ue-
nas quæ capillamentorū modo per corpora disse-
minantur, pellitur quod maxime alienum est, &
ex eo genere id præsertim quod oportunius est ad
defluendū

defluendum, hoc est calidius & liquidius. Pulsa
igitur hac materia, exonerantur partes transmit-
tentes. In ipsis autē agrotātibus maior copia colli-
gitur, quā in reliquo corpore, deinde cōtinuo in-
uenis maioribus & uicinioribus hac copia, idq;
magis in morbis acutis, in quibus fit acuta expul-
sio, & proinde cumulata hac copia, uenulae capil-
lares dictae, implentur ac intumescunt & conspi-
cuae fiunt, ut in oculis per lippitudinē perspicuum
est. Deinceps pars sanguinis per earum ora, pars
etiā, roris modo, per earundē spiracula effluit, ac
per totam substantiā particulae dispersa tumorem
facit, ubi sanguis nō diffusus incalescit, quae affe-
ctio, phlegmone dicitur. Copia autē distendēs &
irrupens, soluit cōtinitatē. Vnde, quemadmo-
dum ex calore, fit dolor, rursusq; à calore & dolo-
re, attractio. Calor autē aliquādo febrem accēdit,
cū scilicet ob magnitudinē aut uicinitatē ad cor
ipsum continenter distribuitur, utraq; uero defluxio,
tumorem & morbum auget, tumor uenulas
premendo uiam praecludit, ne facile remeet in ue-
nas recens defluxio. Hæc uehemencer trusa affi-
gitur ac infarcitur particulae, degeneratq; à statu
naturali, simulq; particulā afficere nata est. Hæc
enim tota materia cum quæ pellitur, tum quæ
pulsa est, quia facultati excretoriæ obijcitur, de-
sciuit ab imperio, iugo, & legibus altricis facul-
tatis, &

acutis, & proinde reliquum est ut in pravam quali-
 tatem ac substantiam transmutetur, simulq; (nisi
 ualde parua mitisq; fuerit) afficiet naturam ipsarū
 continentium partium unde imbecilliores euadēt,
 illi ueluti iugo assuescentes. Et hæc omnia eo cele-
 rius fient, quo morbus maior acutiorq; fuerit, ma-
 gisue præcept. Ergo in particula laborante & ui-
 cinis ubi sanguis mitissimus fuerit, affectus erit ni-
 hilo mitior quàm in athletarum habitu apud Hip-
 pocratē, & nos ipsum imitati recte colligerimus,
 Soluere igitur habitum expedit sine mora. Rur-
 sus etiam si sanguis (ut ferè contigit) aliquid uitij
 contraxerit, eadem erit accelerandæ euacuationis
 ratio, ut in materia turgente, apud Hippocratem.

- > Medicari (inquit) in ualde acutis, si materia tur-
- > get, eadem die. Tardare enim in talibus malū est.
- > Turget enim quod de una sede in alteram trans-
- fertur, quod est facultatis expultricis opus. Porro
- & hic, & illic, natura non continente alimentum,
- sed expellente, uis altrix fungi suo munere in id
- alimentum non potest. Hinc restat in pravam qua-
- litatem mutatio, nisi mature uacuetur. Demū Ga-
- lenus libro secundo de arte curatiua ad Glauconē
- > in phlegmonarum curatione recte ait. Oportetq;
- > in his inflammationibus (uidelicet quæ ex defluxi-
- > one fiunt) principia curationum optima fieri, nam
- > quæ in ipsis errata contingūt, difficulter sanabiles,

aut

aut omnino insanabiles faciunt dispositiones. Sunt e-
autem hæc duo maxime errata, si nulla de toto corpore
pore, providentia adhibeatur, etsi calfiat atq; hu-
mectetur etiam membrum. Quoniam inter initia
plurimus sanguis remeare potest à phlegmone in
uenas, facta totius corporis, & præsertim uicina-
rum partium, euacuatione. Hinc enim trahitur, il-
linc pellitur, permanente adhuc partis laborantis
robore, sed neq; affixus infarctusq; est, neq; adhuc
fluxilem substantiæ conditionem amisit, & uenu-
lae per quas iter est, etiam nunc patent, minime ob-
structæ, quorum postea cõtraria superueniunt, nisi
si succurratur, & si laxetur robur particulae calfi-
ciendo & humectando, duplicatur malum, quod
propensius defluxio recipiatur. Ex his constat in
phlegmonem patiente corpore, quæ adhuc in ge-
neratione est, hæc esse præter naturam hoc causa-
rum ordine. Humor alienus incitans expultricem,
prima omnium causa est, deinde defluxio, quæ est
expultricis actio, multitudo, præsertim in phleg-
mone, deinceps in proximis uenis tumorem attol-
lens, calor cum solutione continuitatis, dolor, at-
tractio, id est, recens defluxio, multitudo humoris,
corrumpitur, eiusq; pars iam affixa est, pars recen-
tior affigitur, nondum est affixa, unde cum tumo-
re, uenulae præcluduntur, & sic morbus increscit
ob causarum efficientium magnitudinem & diu-
turnita-

eurritatem. Igitur non solū hæc præternaturam
genera, sunt considerata, sed eorum magnitudo.
Species enim, siue essentia rerum præternaturam,
sui ablationem per contrarium indicat, ac contra-
rij speciem. Magnitudo uero, quantitatem contra-
rietatis significat, una cum statu naturali, id est,
contrarij magnitudinem, & celeritatē. Recte igitur
in numero eorum quæ urgent celeritatem ue re-
quirunt, magnitudo collocatur à Galeno. Nam
morbi magni acutiq; iam facti, præceps est motus,
& causarum efficientium magnitudo, morbi ma-
gnitudinem confestim efficit, nisi celeriter summo-
ueatur. Phlegmonarum autem magnitudo (cuius
indiciū est pulsans dolor) suppurationem (quod
minimum est) affert, & suppuratio in uiscerū in-
flammatione, res est serè desperata. Morbi magni-
tudo siue grauitas, accipitur ex læsæ partis præ-
stantia, uel ex affectus magnitudine, uel ex cacoë-
thia, siue maligno accidentium genere, cuiusmodi
est febris continua in uiscerum inflammationibus,
& spirandi difficultas in synanche, & pleuritide.
Ipsius autem affectus magnitudo, uel partem, uel
causam, uel pabulum, præparationemue habet, cor-
poris cacochymiam, uel plethoram, quæ & cacoë-
thiæ connumerari possunt, neq; hac solum, sed &
equalitatem. Morbi enim magnitudo, humorum
inopiam exigit, quod sic intelligitur. Alimentum
corpori

corpori quodam modo simile est, quodā modo con-
trarium, hinc per integram ualitudinem una quæ-
dam est humorum optima mediocritas, & ea qui-
dem ampla, quam citro ultroq; includūt excessus
ac defectus, in hac mediocritate, partes omnes su-
am humorum analogiam seruantes, æque potentes
sunt, adeo ut nulla abstrahat alteri alimentum,
neque alia in aliam expellat, uni plus, alteri mi-
nus relinquendo, sed est quædam uirium ueluti
æqualitas seruans analogiam excessus, quadam-
tenus tolerabilis est, seruaturq; analogia, si tamen
uni parti detrahatur paululum sanguinis, citra
indigentiam, non repetet ab alijs, quadamtenus
etiam molestus esse incipit excessus facultati al-
teratrici iam impari, hinc alimentum tanquam
contrarium pellitur à ui expultrice, & si qua pars
tunc fuerit imbecillior, in eam decumbitur, si uero
uni parti sanguis detrahatur ad indigentiam usq;
& in altera redundet, defluet duplici ratioe, hinc
tractus, illinc pulsus, quoad reditum sit ad analo-
giam humorum, & uirium æqualitatem, ubi siste-
tur. Analogiæ tamen comparatione paulo plus re-
linquetur in parte transmittente, nisi omnia ad
mediocritatem redeant. Vbi defectus in toto cor-
pore adest, seruatur quoq; analogia, partibus ta-
men principibus uel tunc robustioribus, paulo ple-
nius succurrendo pro roboris ratione, tunc quoq;
humores

Humores melius faciliusue subiguntur à ui altrice
ac auidius ualidiusq; continentur à retentrica, sed
non sufficiens alimentum præbent, uel natuum ca-
lorem non sufficienter fouent, quæ sunt duo sang-
uinis officia, quibus mediocritas definitur. Pariter
in uitioso sanguine attendenda est alia medioc-
ritas, sed minor, quia uitiosi sanguinis, eadem
quantitas difficilius subigitur à natura, quàm op-
timi, itidem adest excessus, & defectus. Natura
enim per indigentiam, suis excrementis aliquan-
do abutitur, sicuti per famem homines, nam ut est
apud Martialem, Cum te fastidierit popina diues,
Antiquæ uenies ad ossa cœnæ. Hinc natura, sang-
uinem uitiosum aliquando auide amplectitur &
retinet, uel etiam trahit, uidelicet ob indigentiam.
Igitur ubi pars aliqua excessum alimenti patitur,
trahenti non solum tribuit, sed etiam pellit, primū
uero si quid uitiosi habeat, sed transmittenti ob-
sistit. Item in humorum mediocritate, pars neq; tra-
hit, neq; pellit, neq; statim trahenti repugnat ma-
nifeste, neq; transmittenti, quoniam parua porti-
uncula, uel adiecta uel detracta, non magnopere
à mediocritate recedit, in indigentia contra, prius
tamen pars sanguinis deterior trahenti concedi-
tur. Demum per indigentiam, pars summopere tra-
henti obsistit, adeo ut uitiosum humorem non fa-
cile condonet, tanta indigentia esse potest, nisi is
humor

humor omnino à naturæ legibus ad extremam præ-
uitatem desciverit. Pulsam materiam facile reci-
pit, etiam ualide trahit. In uniuersum, trahenti
semper cedit deterior sanguis. Nam si pars trans-
mittens uicina, pellat, pellet sanguinem deteriore.
Sin minus, sed obsistat ualidius, continebit melio-
rem, concedetq; facilius deteriore. Tertia medio-
critas est in morbis, ob eorum magnitudinē. Pro-
spere enim ualitudinis mediocritati superueniens
morbus, ut corporis naturam, sic humores male af-
ficit. Idcirco maior naturæ procuratio exigitur,
quæ humores uendicet ab hac morbi iniuria, pau-
ciores autem melius procurabit, moderabiturq;.
Insuper uis altrix bipartito secta, & ut morbum
conficiat, & ut sanguinem in officio cōtineat, mi-
nus potest utriq; muneri impendere, quàm alteri
solum, ergo quæ prius erat mediocritas, efficitur
excessus. Quo autem exceditur morbo, aduersus
naturam cōspirat, & facile corrumpitur, augetq;
morbum. Ipsa etiam facultas imbecillior, minore
humorum modum probe moderatur, quæ quarta
mediocritas est. Fit autem plerumq; in morbis im-
becillior, & in inflammationibus, ubi non est indi-
gentia. Illinc facile attrahitur humor ad phlegmo-
nem, sed hæc, non probe regere, uel non ualide ac-
strenue continere humorem, accidentia sunt facul-
tatis læsum corpus gubernantis, & proinde sub
F cacoëthia

cacoëthia cōtinetur, quæ morbi magnitudini adnumeratur. Adnumerata est etiam & præstantia partis laborantis, ut si fuerit prima sedes actionis, corpus gubernantis, uel si præbeat officiū aut utilitatem toti commune, ac necessariū, uel si eximio sensu polleat, ut in pleuritide, uel si nobili facultate sit prædita, quāuis minime necessaria, ut oculus. Ex paulo antedictis constat, ob morbi magnitudinē, esse sanguinem detrahendum, quamuis humorū mediocris quātitas esset, antequā in morbum incideretur. Quod Galenus ait libro therapeutice quarto. Si ualens morbus sit cum uirium robore, nemo est qui sanguinem non mittat, qui utique in artis operibus sit exercitatus. Quippe ipsos empiricos uidemus, cum lapsus ab alto quis sit aut alias plaga contusas uehementē corporis partes habuerit, ad sanguinis missionem confugere, quanquā idē homo paulo ante sanus fuerat, prorsusq; redundantie sanguinis expers. Ex quo patet non hoc esse quod mittendū sanguinē indicet, sed magnitudinē morbi, ac uirium robur, exceptis tamen à sermone pueris, & cætera. Significat ergo morbi magnitudo multitudinē & celeritatē euacuationis, & utranq; maiorem, ut in maiore morbo, sic ab eo loco quando morbus uehementius infestat, cuiusmodi est pars phlegmonem acutam patiens, ob iam dictas causas. Hinc Galenus lib. de ratione

ratione uictus in morbis acutis secundo, commentario decimo, in pleuritidis curatione docens primum secundam esse uenam internam, siue basilicam, & hac non apparente, mediam, & si hac non cernitur, humeralem subiungit, hoc prenotato, quod uenae sectio undecumque fiat, trahit ex toto corpore animalis, non tamen uelociter, neque aequaliter ex omnibus uenis, nostra autem intentio studium quoque uertitur, ut a loco phlegmonem patiente, plus sanguinis ac celerius euacuetur, quam ex reliquis corporis partibus, praesertim in morbis acutis, & hoc solum posset sufficere ad ostendendum propositum nostrum, nos tamen ex indicationum ordine ostendamus, hinc esse auspicandum. ¶ In phlegmone multa sunt praeter naturam implexa, quae summoueri desiderant, sed in summouendi ordine in omnibus eiusmodi complexionibus, triplex tibi scopus siue intentio proponendus est, unus, ueluti a causis sumptus, eius quod post futurum est, alter ut quod rationem obtinet eius sine quo non, tertius eius quod ueluti accelerantium & urgentium nominatur. Ad haec si respexeris, ordinem curationis inuenies, ubi namque a quoque affectu non leue periculum instat, ad id quod urget, dirigi primum curantis consilium debet, atque hic affectus primus curari, interim uero non primus modo, uerum etiam solus curari desiderat, urget autem alias alia, sed quod in uniuersum dici potest, magnitudo.

Secundo loco ubi nihil urget, ordo à causis sumendus est suprema omnium causa, primum succurrendo, deinde ei quod ab ea efficitur, quem ordinem antea exposui. Urgeat primum magnitudo ipsius phlegmonis, ut in morbis acutis, & sit multus humor in phlegmone tumorem attollens, item calor, & continuitatis solutio, & ex his uehementis dolor, non potest celerius succurri his omnibus simul, quàm plurimum sanguinis, ac celerrime inde retrahendo in uenas, simulq; totum corpus euacuando, quod ualidissime fiet, incisa ampla uena, cuius origo coniunctissima sit cum ea uena, per quam in phlegmonem defluebat humor, hac enim ratione sanguis qui nuper defluxit, neq; adhuc uehementer inhaesit, affixusue est, remeabit in uenas, & eo ablato mitigabitur calor, distensio, ac solutio continuitatis, & proinde dolor, mitigandi autem doloris, etiam alia ratio est. Ergo ab eo quod urget non indicatur aptior uenae sectio quàm antea dicta, id est, ut plurimum, & subito à loco affecto euacuetur, quod fit secta uicina uena non distantissima. Iam sumamus ordinem à causis, quoniam prima deflexionis causa erat, humor, copia uel uitiosa qualitate excretoriam facultatē offendens, quē in morbis acutis corrumpi par est, ut ostendimus. Hæc causa primum tollenda est, hæc autem copia exuberat in morbis acutis, cum in toto corpore ob
febris

febris continuæ magnitudinem, tum in parte laborante uicinisq; uenis, & propter febrē, & propter præcedentem defluxionem, & morbi magnitudinem illic ualidiores, aliquando etiam ob imbecillitatem semper aliquarum uirium, hinc enim eo defluebatur, aliquando etiam alteratricis. Hæc igitur exuberantia non solum indicat ablationē, sed quod ipsius plurimum à loco phlegmonem patiente eiusq; peculiaribus uenis auferatur, deinceps ex distantioribus & in morbis acutis quod id fiat, qua celeritate potest, cauendo tamen ne ex accidenti manifesta læsio minime necessaria subsequatur. Igitur ordine ex causis sumpto, idem continget quod ab urgentibus, ut scilicet ea uena secetur, in acuta phlegmonem, qua celerrime, plurimum euacuetur à loco inflammato, sed reducēdo humorem à phlegmone, & eam partem alente peculiari uena, in eum uenarum locum unde expedite, ac sine insigni malo educi de corpore possit, quæ euacuatio, antispastica nuncupatur. Hæc autem, ut antea ostensum est, non potest fieri ex ipsa parte phlegmonem patiente, sed ex uena aliò tentende coniunctissima cum origine uenæ, quæ eam partem alit, quæ simul ampla sit & maxime edirecto. Sed hæc promptius intelligētur hoc modo. Pellentibus communibus uenis nocentem humorem in phlegmonem, & repellente laborante particula,

E 3

tum per

tum per excretoriam facultatem, tum quia non patet egressus, necesse est (si adest insignis copia) regurgitare humoris partem in proximam uenam, quæ maximam societatem habeat, & cū loci aegrotantis peculiari uena, & cum communibus uenis transmittentibus, præsertim si capax & ampla sit. Et per hanc uenam natura commode tendere dicetur, si ea secta nulla ex accidente læsio sequatur. Ponatur autem hæc ampla uena aliò tendere, quàm ad partem laborantem. Ostendendum est, hæc secta uena, nullam subsequi læsionem non necessariam, & idcirco hanc optime incidi in acutarum phlegmonarum curatione, ubi conueniat sanguinis missio, ut uenam humeralem dextram in angina dextra, & dextram internam uel basilicam in dextra pleuritide, scarificata enim phlegmone uel incisa angusta eius uena, ostensum est quæ pericula sequi periculum sit. Inter initia igitur humor qui in uena particule laboranti peculiari continetur, regressum retractionemue saltem, ad eius uenæ originem usq; significat, desideratq; ut inde exceptus à familiari uena incisa foras excernatur. Iam secetur huiusmodi uena ut humeralis in angina, constat per hanc plurimum humoris euacuari, eius qui in uicinioribus partibus continetur, & uitiiosioris. Primum enim ex uicinis partibus deterior sanguis trahenti cedit, celeriter autem uitiiosus sanguis

Sanguis ex partibus transmittentibus profluet, ad
iuuante impetu facultatis excretoriae eò urgente.
Et is quidē idcirco sincerus profluet, quoad totus
excessus sit euacuatus, quod huiusmodi sanguis
significabat ac desyderabat, sui uidelicet plurimū
& celeriter euacuari, & proinde per ea loca, per
quae natura tendit, plurimum inquam ex partibus
ipsi phlegmone uicinis. Rursus quoniam laborans
particula in propositam sectamq; uenam sese exo-
nerare nitebatur uergebatq;, utpote familiarissi-
mam, ut ostensum est, potentissime retrahet hęc
uena sectio humorem à phlegmone, eiusq; peculi-
ari uena, & euacuabit, quae euacuatio antispasti-
ca est, Summis autem morbis, summa diligentissi-
me remedia sunt adhibenda, ut Hippocrates ait,
quales sunt ualde acuti. Huic euacuationi opitu-
latur uenae amplitudo, & originis uicinitas. Ergo
hęc antispasis per uiciniores uenas, plurimum &
nocentissimū totius corporis humorē, & celerrime
euacuat à parte laborante uicinisq; uenis, in quibus
plurimus, nocentissimusq; redūdabat, qui & uim
excretoriā stimulabat. Iam facta sit tāta euacuatio
ut & is humor sit ablatu (cuius signū est sanguis
nis mutatio) et in toto corpore sit alimēti paratus.
Primū hęc indigentia malū est, sed in morbis acu-
tis necessariū, et hęc ob causam scribit Hippocra:
Vbi morbus peracutus est, statim et labores summi e
F 4 fatigāt

▷ fatigāt, & tenuissimo uictu uti necesse. Et ut GA
▷ lenus ait. Magna ex parte properamus in morbis
▷ longis fouere uires, quales accepimus, in acutis sa-
▷ tis est modice languentes seruare, Deinde (quod
utile est) aufertur humor totus excretionem stimu-
lans, & idcirco mouens defluxionē, quæ erat pri-
ma malorum causa. Quo ablato, cessat defluxio,
quantum ad excretoriam facultatem attinet, neq;
enim agit ea uis, nisi incitata, hæc autem uera de-
fluxionis curatio est, quæ fit per ablationē causæ,
uos uero illam curatis, imò non curatis, sed curare
studetis, per contrariam solam retractionem, non
aliter quàm si quis feбри quotidianæ, aut quarta-
næ refrigerando mederetur, manente putredinis
causa. Præterea ab ipsa phlegmone euacuatur hu-
mor qui nuper defluxerat, neq; adeò affixus erat
quin redire in uenas posset, ualidissime enim re-
trahitur, quare nisi aliquid obsistat, in aduersum
trahendo ac retinēdo, cuiusmodi est uehemens do-
lor, remeabit quicquid remeare potest, & ut est
antea ostensum, simul decrescet magnitudo tumo-
ris, & caloris & solutionis continuitatis, & dolor
ris inde nascentium, sublata uidelicet omniū cau-
sa. Proinde tolletur attractio eis superueniens &
consequens defluxio, simulq; reddetur totius cor-
poris natura peruicax & uix patibilis ab huius-
modi attractione, propter indigentiam enim, cor-
poris

poris natura strenue continet alimentum, neq; elabi patitur, quoniam modica pars sublata, corpori iam indigenti summam indigentiam relinqueret. Igitur huiusmodi uenæ sectio, omnibus ijs quæ sunt præter naturam, non solum primæ causæ subuenit, quod longe præstantissimum est, excepta sola materia iam uehementer affixa, eiusq; accidentibus cui uenæ sectio antispastica subuenire non potest, cui tamen hæc prouenit utilitas ex hac sanguinis missione, quod possunt ei ilico sua, localiaque remedia adhiberi. Nec solum tolluntur ea quæ sunt præter naturam, sed quàm optime fieri potest seruantur ea quæ sunt secundum naturam, uacuo enim uitioso sanguine, optimus remanet, parcus quidem iuxta phlegmonem, ubi minus alimenti exigitur, & unde maior attractio à morbo fit, plenior autem in partibus distantioribus, ubi natura robustior est, & cui minus negocium morbus facit, & proinde plus alimenti continere in officio potest. Medici autem officium erat seruata natura, morbum impugnare. Itaq; hac sola sanguinis missione, quando nulla materia adhuc uehementer affixa est, ut omnino inter initia corpus integræ ualeitudini restituetur, ablatis scilicet omnibus ijs quæ sunt præter naturam, & proinde eo plus conferet, quo morbus fuerit principio uicinior. Verùm quoniam metuitis ne hæc sanguinis missio, plus no

F S ceat


erat attrahendo implendoq; phlegmonem & uici-
nas partes, quàm iuuet euacuando, hoc erat uobis
ostendendum, neq; enim huius dicti causam redde-
re potestis, neq; sufficiens est illa uobis assueta de-
monstratio, inde enunciare. Dico quod hoc fiet, di-
co quod hoc non fiet. Non potest autem ea uenæ se-
ctio ex accidenti nocere, nisi uel faciendo nouum
morbum, uel iam factum augendo. Sed non fieri
alium morbum, præter ipsum uulnus & indigen-
tiam in confesso est. Morbum autem non auget, pri-
mo calfaciendo, soluendo continuitatem aut infe-
rendo dolorem, quod etiam recipies, reliquum est
igitur ut noceat implendo, quod & tu dabis. Aper-
ta autem uena & profluente sanguine, phlegmone
non impletur uenæ sectionis ratione, quod etiam
consueuerunt concedere, tu forte negabis suffugia
querens. Sed profluens sanguis per phlegmonem
non transit, aut per angustas uenas, ut affigi infar-
citurq; ob suam crassiciem, & meatuum angustiam,
& ualidum tractum possit, sicuti scarificata phleg-
mone, quod perspicuum est, neq; etiam ualidius
ad phlegmonem eiusq; peculiarem uenam pelli-
tur, tum quia subinde minus pellit uis excretoria
decrecente scilicet materia ipsam stimulante, tum
quia si etiam equaliter pelleret, non posset fieri
pulsus per humidorum corporum consequentiam,
nisi integrum sit uas per quod pulsus efficitur, nec
ulla parte

ulla parte dehiscens, patet autem uia in medio ue-
na, ut positum est, & ea quidem ampla per quam
medius humor subducatur, ea scilicet uena quæ sec-
ta est, quæ non solum admittit expressum humo-
rem se sua sponte subducentem, sed etiam ualide
trahit. Igitur interea dum profluit sanguis, minus
impletur pars infirma, quàm antea, uel quàm im-
pleretur, si non proflueret sanguis, imò non im-
pletur, sed & peculiaris eius uena in uenam sectã
se se exonerat, ex colluctantium uirium proportio-
ne, hoc est communium uenarum pellentiũ humo-
rem, & partis laborantis repellentis, quæ ita obsi-
stet, ut uix multo tempore parum humoris in se re-
spergi patiatur, qui scilicet, tumorẽ facit. Sit ergo
fistula siue tuba A B C, significãs uenã iugularem
dextrã, a cuius medio B ducatur alia tuba deorsum
spectãs B D, significãs humeralẽ uenã dextrã, am-
pla quantũ res exigit, pars autem B C, representet
uenã quæ fauces alit, & C anginam. Sitq; E F G
brachiũ aut uectis ex materia recta, firma quidẽ,
sed quæ flecti possit, representãs uirtutẽ, ea cuneis
in E & F figatur, & sit K, quẽ uocãt embolum
masculum, politus & oleo subactus in foramine
A, eius regulamẽtũ sit H K, & incuruetur inten-
daturq; E F G, quousq; G ad H perueniat, cui affi-
gatur, pellet igitur uis E F G embolũ K, exprimet
q; humorẽ contentũ in fistula A B C. Sit similiter
reflexum aliud

reflexum aliud brachium L M N, & regulamen-
 tum N O, & embolus O in foramine C, sicq; clau-
 sum foramen D, colluctabuntur inter se uires ex-
 pulsivæ E F G, L M N, sit aliquāto maior E F G,
 & aperiatur foramen D, simulq; uirtus D trahat
 humorem, non solum recipiat influentem, constat
 per D effluere humorem ab utraq; fistula ex pro-
 portione uirium pellentium E F G, L M N, & em-
 bolos K O in ea proportione accedere ad mediū B
 utrinq; pellendo, cum maior sit proportio uirtutis
 pellentis L M N, & trahentis D, unā cum resisten-
 tia B C fistulæ angustissimæ, simul ad resistentiam
 amplæ uic B D fermè nullā, quā uirtutis E F G
 ad L M N ferè æqualem. Ergo effluat humor do-
 nec brachium E F G perueniat ad rectitudinem
 E F G (quæ significet æqualitatem humorum) &
 embolus K in A. Iam igitur uis E F G desinet pel-
 lere ablato excessu G H, sugit autem D uirtus hu-
 morem, non solum recipit influentem, ergo pluri-
 mus humor euacuabitur à fistula C B. hinc tractus
 illinc pulsus, ac nullo obsistente repellendo. De-
 mum D uirtus sugendo trahēdoq; humorem, tra-
 hat embolum O in Q. & G in R. Iam igitur uir-
 tus E F R quæ ex reflexa euasit deflexa, non solū
 non pellet humorem, uel in C uel in D, uerū illuc
 defluenti strenue obsistet, retinendo ac retrahendo
 secundum quantitatem defectus siue indigentiae
 G R, sig'

G R, significabitq; **E F R** uirtutem retentiua post
 sanguinis missionem, non possunt autem melius
 significari uires pellens & trahens aut continens,
 q̄ hoc modo, quia utrinq; uis mollior euadit prope
 equalitatem, sicuti hic prope rectitudinem.

Ex his intelligitur non solum non nocere san-
 guinis missionem, fluente sanguine, uerum etiam
 post phlobotomiam ob indigentiam, defluxioni ob-
 sisti à ui continente & attrahente.



Quod uero ualide obsistat defluxioni corporis puritas & indigentia, ex eo intelligitur quod per eam adhibeatur cucurbitulae costis in pleuritide super morbum ipsum, nec quicquam de corpore attrahitur in phlegmone, sed solum infarctus affixusque humor de phlegmone euacuatur. Quia uero doloris magnitudo (ut antea dictum est) potest trahendo impedire sanguinis de phlegmone regressum in uenas, hinc prius mitigare oportet doloris magnitudinem si adsit, ut in pleuritide, ob sensibilitatem partis laborantis contingit, quod fomentis anodynis uocatis efficitur, calidis quidem, sed nunc humidis, nunc siccis. Verum quia laxant partem laborantem, defluxio ilico seuior repetit, & ex defluxione acrior dolor, nisi celerrime perueniamus euacuare, retrahendo & phlegmonem & uenas praesertim uiciniores, nam tunc quoque euacuare, interdum difficile est. Ergo doloris mitigatio, plurimum ac celeriter euacuandum significat a phlegmone & uicinis uenis, obtinetque rationem eius sine quo non potest succurri, neque urgentibus neque futurorum causis, sicuti defluens humor, & qui nuper defluxit, rationem obtinet eius sine quo non potest succurri humori iam affixo. Itaque ordine sumpto et ab urgentibus et a causis et ab eo sine quo non, semper indicatur idem, uidelicet uenam eam esse secundam, qua plurimum ac celeriter a loco aegrotante euacuetur in phlegmone acuta, cauendo ne ali

do ne aliqua ex accidēti lesio subsequatur. Nulla autē lesio subsequitur incisa ampla uena originis cōiunctissima cū ea uena quæ alit locū inflāmatū quæ & maxime uicina sit, & edirecto sed aliō tendens, ut ostēsum est. Hæc igitur prompte secanda est, sin minus appareat, alia cōiunctissima ex ordine. Igitur in angina aut alia capitis phlegmone incipiente, secare expedit uenā humeralē, & hæc nō apparēte, mediā, sin minus, internā, sed edirecto siue eiusdē lateris cum morbo. Item in pleuritide, peripneumonia, hepatis aut lienis aut cordis phlegmone incipiente, secanda est interna uena siue basilica, sin minus, media, sin minus humeralis, sed edirecto, siue eiusdē lateris cū morbo. Denique in phlegmone incipiente, renū, uesicæ, uterī, pudēdi, secāda est poplitis uena, & edirecto eiusdē lateris cū morbo, sin minus, tali siue malleoli, renes tamē aliquādo ambigūt. Hoc enim modo per ea loca per quæ natura cōmode sineq; detrimento tēdit, simul totū corpus euacuatur, simul pars inflāmata eiusq; propria uena, nō solū euacuatur, sed & celerrime & in aduersū defluētis siue retrahēdo, quæ euacuatio antispastica est. Dicere posses, Aperta uena, augetur fluxus humorū quod est absurdū, fluūt quidē humores, nō tamē in partē agrā, sed foras, qd' utile ē, nō præter naturā. Iterū dices, In euacuatorū locū alij succedūt, ergo at

ergo augetur fluxus. Neutrum oportet. Si enim
solus excessus tollatur in eius locum, non fluct hu-
mor euacuationis ratione, quoniam neq; in parti-
bus transmittentibus est excessus, ut pellant, neq;
in recipientibus est defectus, ut attrahant. Deur
tamen, quoniam fieri potest, alios humores in eua-
cuatorum locum succedere uicinis uenis uehemen-
ter euacuatis. Iam fluent humores fatcor, sed non
preter naturam, quoniam neq; mali (deteriores
enim euacuati sunt) neq; multi, saltem phloboto-
mie ratione, cū sit parcitas sanguinis in toto cor-
pore. Veruntamen partes euacuatæ ac uiciniores
alimentum exigent à distãtioribus ac plenioribus
propter totius corporis cōsensum, ea saltem quan-
titate qua tenuiter refici possint, minus tamen at-
trahent quàm relinquent, naturalis analogiæ cō-
paratione, alioqui uis minor traheret maiorem,
quod est absurdum. Imbecilliores enim sunt par-
tes morbo uiciniores, & à morbo magis disturban-
tur, quàm si uires etiam essent æquales. In equali
alimenti inopia facilius est continere quàm attrahere,
alioqui ab æqualitate fieret actio. Sed cōtrà
uirtus omnis agit in proximum ualentius, quàm
eadem aut æqualis in distans. Non ergo replebun-
tur preter naturam, uicinæ morbo partes, neq; is
humorum fluxus preter naturam erit, sed cessabit
ubi ad analogiam humorum peruenietur. Multo
tamen

tamen prestantius est, in partibus morbo uicinis
esse tam modicum alimenti, ut aliunde trahant, quã
esse tam multũ ut uel in alias pellant, uel trahen-
tibus concedant. Quoniam ut antea ostensum est,
fluxus non est per se præter naturam, sed plenitu-
dinis ratione, quæ ipsum sequitur, neque obsistendũ
est ne fluant humores, sed ne copiosiores quã pars ex-
igit. Diceret aliquis interdum non tolli totam exu-
berantiam una sanguinis missione, tunc ergo uerti
impetum excretoriæ facultatis uersus phlegmonẽ,
& ipsam impleri, ut in purgationibus in quibus id
absurdum eueniebat. Verum purgatio alia ratione
nocet, calfaciendo, trahendo, ac irritando uicinam
crudamque phlegmonẽ, augendoque febrem. Deinde
non est idẽ expulsionis modus. In purgatione enim
si exquisita non sit, non potest iterũ aliud medica-
mentum exhiberi, & quamuis exquisita sit, expel-
letur ad phlegmonem usque, si non aliud, certe san-
guis, cuius scilicet copiam medicamentum non de-
traxit, at post sanguinis missionem, & minus uio-
lenta expulsio fit, & conuertitur impetus cum to-
tius corporis, tum partis laborãtis, eiusque propriæ
uene in uenam sectam utpote capacem & ferme
uacuam, idcirco ex uicinis partibus exurentem,
ita fit ut ex corporis habitu in uenas uacuas pau-
latim redeat, si quid uitiosi remeare quidẽ possit,
non tamẽ celeriter uel ob distantiam loci, unde at-

G trahitur

trahitur, uel quia iam paulo pertinacius affixum
erat. Collecta autem idonea quantitate, poterit ite-
rum phlegmone infestari, quod uix ante horam
quartam à uenæ sectione fieri contingit, ut ex pe-
riencia docet, & ratio reddi potest ex libro tertio
de uiribus naturalibus, sed tunc iterum ex eadem
uena detractus sanguis, id totum expurgabit. Hinc
potius expedit iustam quantitatem bis uena aper-
ta euacuari, quam semel tantum, cuius causam red-
dit Galenus libro de sanitate tuenda, quarto, his
uerbis, loquens de lassitudine phlegmonode siue
inflammatiua, quæ phlegmones principium est.
Quam autem ob rem in his qui hac premuntur,
iterari sanguinis detractionem iubeam, nec hos mul-
tum ac simul reficere satis profecto fuerit, uel Em-
biricorum causam reddere, Nempe quod & ma-
gis iuuantur, quibus sic est emissus, & bona uale-
tudine diutius fruuntur, qui sicut comprehensum
est, sunt tractati. Cæterum & quæ ex natura rei
ratio ducitur, apposuisse non sit alienum, Quoniam
am igitur in hac quæ uelut phlegmone fatigat, lass-
itudine, uis calidi sanguinis congesta in corporis
mole est, uenæ autem sectio, succos è uasis emittit,
utile est post priorem detractionem tantisper in-
mittere, dum aliquid eorum qui in corpore sunt
humores, remigret ad uenas. Quod tamen quoni-
am committendum non est ut in his maneat, ut pote
ex dimidio

ex dimidio corruptum, sed potius plurimū eius ex/ e
pellatur, idcirco detractionē sanguinis, etiā secun/ e
do die iteramus, aliquando uero & in tertio, ubi e
uidelicet & reuellere, & ex alijs in alia tran/ e
sferre e
uisum est conducere. His uerbis Galenus non im/ e
probat (ut tu) rationem empiricorum sumptā ex
ijs quæ iuuant. Et semel atq; iterum derrahit san/ e
guinem ex uicinis uenis, ut paulo superius expo/ e
suerat. Tertio ubi res exigit, studet reuulsioni, ter/ e
tia sanguinis detractione, non (ut soletis) prima,
duæ tamē primæ detractiones quæ euacuandi gra/ e
tia fiunt, præcipiendæ sunt, eodem die si liceat, sed
post quartam horam, sin minus, secundo, ut scribi/ e
tur libro de phlobotomia. Ergo si per corporis pur/ e
ritatem uis attractrix, & contentiua sustinere non
possit impetū attractionis à morbo factæ, obsisten/ e
dum est per antispasim, contrapositas partes fri/ e
cando, uincula aut etiam cucurbitulas adhibendo.
Interdū scarificādo, aut etiā uenā secādo, tūc enim
sola retractio significatur, nō euacuatio, ecōtrario
q̄ medici solēt hoc sæculo, qui uiriū naturaliū con/ e
templationē ignorāt, simulq; ingerēdæ sunt potio/ e
nes refrigerātes, ac spissantes, nō tamē semper ad/ e
stringentes, sed pro locorū affectorū natura, sic &
locis affectis adhibēda sunt frigida & repellētia,
ubi loci natura patitur, qbus modis nisi phibeatur
phlegmones incrementū, nullis alijs inhibebitur.

G 2 Vide

Vide igitur quid dicat diligentia tua, ne uicta ta-
ceat, ne quid inexpertum frustra moritura relin-
quat, hoc unum inclamitabit auertendum omnem
defluentem humorē longe longe à morbo, ego con-
tra foras foras à corpore quod multo longius est.
Ergo humor ab aliquo loco defluens, ibidēq; mor-
bum per inopiam defectumq; alimenti relinquens,
regressum retractionemq; significat, Galenus.
Quæ loci gratia præter naturam se habent, repo-
nenda se in suum locum docent, & alibi, fluentiū
humorum retractio, medela est, qualis est immodi-
cus sanguinis fluxus per uterum aut nares. San-
guis uero uitiosus qui suo discessu priorem locum
liberat ab inutuli onere, per ea loca tendens, per
quæ sine detrimento euacuetur, quoniam hic hu-
mor secundum naturam fluit, nō se retrahendum
significat, hoc enim esset morbum efficere, sed eua-
cuandum adiuuandumq; naturæ conatum. Hippo-
crates. Quæ uacuanda sunt, eò duci debent quò na-
tura cōmode tendit. Et ut Galenus ait, quod gene-
re præter naturam est, sui ablationē indicat. San-
guine autem optimo sola copia pulso, eadem ferē
indicatio est, summouendum enim indicat non se,
sed excessum propter quem pellitur, suam enim re-
ductionem ad mediocritatē desyderat. Potest sum-
moueri is excessus, uel qua pellitur euacuatus, uel
aliò tralatus, ut retractus in priorem locum, prius
tamen

tamen euacuatum, sed qua natura tendit, celerius euacuabitur, magis quam in aduersum. Duo enim agentia, potentius agunt, quam eorum alterutrum, praesertim altero repugnante, natura autem impetu per phlobotomiam adiuto, non facile cohibetur expulsio, nisi ablato toto excessu excretionem stimulantem, & proinde in corpore relicta sanguinis tenuitate. Igitur ubi celeriter euacuandum est, & usque ad sanguinis parcitatem, siue ut acutum morbum sanes, siue futurum praecaveas, ducendum est per ea loca, per quae natura tendit, commode enim tendit cum parcitas non sit damno, ubi uero & celeritas non exigitur, & sanguinis in corpore tenuitas parcitasque, molesta est, retrahere magis expedit, ut retractione contraria expulsio inhibeat, manente quidem aliquo excessu, sed tolerabili, quando uictus nimis diligens periculosior est, magna ex parte eo qui paulo plenior praecipitur, & in sanis & in morbis diuturnis omnibus, ut Hippocrates ait, quare & in leuibus morbis. Humor autem suo accessu morbum efficiens, quamuis suo discessu, naturam exonerat, praeseruatque a malo, cum sit excrementosus, uacuationem significat. Sed quando non potest sine detrimento euacuari, ut in phlegmone, nisi redeat in uenas, idcirco non tam antispasim quam euacuationem antispasticam, id est retrahendo factam desiderat. Vbi uero ad cum lo-

G 3

cum uen

eum uentum est, unde educi sine detrimento possit,
est quur nocens humor euacuetur, non est quur in
corpore diutius immorari debeat, significat igitur
euacuationem antispasticam, per uiciniora, & co
magis quo uehementior tractus ac celerior euacua
tio necessaria est. Vbi igitur fluens humor, suo dis
cessu locum unde pellitur exonerat, sed per eam
uenam tendit, qua tandem bipartita hac morbum
efficere, illac sine nocumento euacuari possit, qua
lis est humor qui in communibus uenis contine
tur, huc uerti, illinc inhiberi alio dato itinere, hoc
est deriuatione, diuerti, nullo pacto retrahi postu
lat, facta superiore distinctione. Non igitur omni
um humorum quouis modo fluentium retractio me
dela est, sed prater naturam fluentium. Nam se
cundum naturam fluentium, non est medela, uel non
alia quam ut natura adiuuetur. Ambigentium ue
ro, ut quorum discessus secundum naturam est, ac
cessus autem ambigit, horum medela, uel potius
precautio est deriuatio, inhibens ne prater natu
ram fluant. Galenus aphori. primo libro. Oportet
itaque medicum nature motum animaduertere, &
si quidem idoneus fuerit, ei conuenit adminiculari,
si uero contrarius & noxius, huc prohiberi, trans
ferre atque diuertere oportet. Rursus ex his indica
tionibus uident etiam cæci, uicinam propositamque
uenam, qua per maxime uicina euacuatio antispas
tica fiat

stica fiat, praesertim in acuta phlegmone. Neq; te-
stimonia citavi, ut indicationes probarem, ut pote
cidentes, sed ut earum inventoribus suum hono-
rem redderem Galeno & Hippocrati. Quibus nō
haec solum, sed reliqua omnia accepta fero, sum-
mis, primis, solisq; medicis. Haecenus iusta ratio-
cinatione ostendimus quidnam sit agendum. Du-
cendo autem ad incommodum facile est per easdē
indicationes idem moliri. Facta uenae sectione per
distantissima, ut dextra parte superiore affecta, si
primū crus dextrū, deinde sinistrū brachiū incida-
tur, neq; enim urgentibus celeriter succurritur, ut
est morbi incrementū & magnitudo, neq; tollitur
defluxionis causa, neq; tam diu potest mitigari do-
lor, donec facta sit retractio, quoniam haec summa
sunt, & nō summis praesidijs uteris, ut secta pedis
vena, nō euacuatur plurimū à phlegmone ac cele-
riter. Euacuatur ergo optimus sanguis, qui scilicet
est in crure superior, malusq; huic tractui non ce-
dit, quoniā uehementer sursum trahitur & pel-
litur, imbecilliter autē trahitur deorsum, uel si in-
terdū cedit, nō tamē totus, potest enim utroq; pel-
li, ut de cholera diximus, & si totus, nō tamē cito,
quare celerius redibit dolor, & si totus & cito, nō
à loco dolēte, uel si ab hoc, nō ualide, et si haec fiāt
nō tuto. Ergo uacuato optimo sanguini succedet ui-
tiosus attractus, ac reliquū corrūpet, et forte eundē

morbum in altero latere efficiet, & plus sanguinis relinquatur iuxta phlegmonem, quam effluere permittatur ad partes distantiores, & immittior erit dolor, quare attractio maior, & humores fluere paratiores, mali uidelicet in toto corpore, & multi in uicinis partibus. Nata est ergo fieri maior defluxio & reliqua omnia, quam in corpore aliter tractato deteriora, & distantes partes pauco prauoq; alimento deterius habebunt, sed singula persequi longum esset, satis sit imminere periculum ne hæc fiant, nunc ostendamus hæc Galeno & Hippocrati consentire. Hippocrates libro quarto, de uictus ratione, in morbis acutis, loquens de pleuride & peripneumonia, ait. Si dolor ad superiores partes extenditur, ut iugulum, mammillam, brachium, internam brachij uenam secare oportet, ab eo uidelicet latere quod dolore fuerit affectum, & pro corporis habitu, & anni tempore, & ætate, & colore sanguinem detrahere, utq; copiosior sit purgatio, si dolor fuerit acutus, ad animi defectiorem ducere. Mitigandi doloris gratia sanguinem detrahit, ergo inter initia, quod etiam postea apertius declarabimus. Iam narranda est Galeni series, quæ Hippocratis & Galeni auctoritatem, experientiam & rationem continet, non solum in pleuride, sed in omnibus uiscerum inflammationibus, & demum per quæ loca sanguis mitti debeat, ubi

uena secan

uena secunda est, ita enim duos apertos uno saltu capi-
piemus, is libro de phlebotomia ait. Ad quem igitur
tur modum, in alijs hactenus sermone explicatis, e-
meam sententiam uobis in memoriã reduxi, quip-
pe quam operibus confirmatam uidistis, ad eundẽ
modum mihi nũc agendum est, principio enarra-
tionis sumpto ex his quæ quotidie in ægrotantibus
uidentur, quæ primus Hippocrates diligenter ob-
seruata scripsit, est autẽ horum hoc primũ & uni-
cum caput. Quæcumq; sanguinis cathexin (id est
uerbũ ex uerbo secundũ habitũ uel ex habitu) fi-
unt, magnã utilitatẽ ægrotantibus afferre. Quod
autẽ cathexin dicat, pro eo quod est edirecto uel
secundũ rectitudinem, omnibus in cõfesso est, præ-
sertim eo frequenter utente hac uoce cathexin, in
eo significatu, sanguinis autem profusiones contra-
rio modo factas nihil conferre, uel etiam officere,
interdum uires deijciendo, morbum nulla ex parte
leuant. Neq; enim lieni tumido, sanguinis pro-
fluuium de nare dextra, neq; iccori de sinistra præ-
sidio unquã fuit, quin etiam reuulsio edirecto fa-
cta, euidenter iuuamentũ celeriter ostendit, at econ-
uerso, nequaquã. Ex dextra quidem nare, san-
guinis profluuium apte & celeriter sistit cucurbi-
ta dextris præcordijs apposita, sicuti sinistris ex si-
nistra. Similiter si reuulsionis siue antispasmos gra-
tia uenam secueris, sanguine edirecto fluente, con-
festim ma-

G S festim ma-

» festim manifestum præsiidiũ senties. Ita nimirũ &
 » splene patiente confert, uenam quæ iuxta anularẽ
 » digitum sita est, secari, ex sinistra manu, ueluti &
 » si internam in cubito uenam aperias. Magnifice
 » enim opitulatur spleni male affecto, sanguinis ex
 » sinistra manu euacuatio. Præstat autem nõ semel
 » tantum, sed bis euacuare ea quantitate quàm eua
 » cuari par est, in duos dies distributa. Nec uideo
 » quur de situm sit lienosis uenam secare, Ego enim
 » magnã utilitatẽ semper inde prouenire obseruauĩ
 » etiã si quis sanguinis libram detraxerit, sed quan
 » tum detrahendũ sit, ex superioribus contemplati
 » onibus accipiendũ est. At uero deinceps & in pleu
 » ritidis, uenæ sectio cdirecto affecti lateris facta,
 » præsentissimã utilitatẽ sæpenumero ostẽdit, ex op
 » posita autem manu, uel non magnã, uel certe tar
 » dam, doloresq; oculorũ uehementissimos sæpe in
 » fra unam diem sedauit, e directo missus sanguis,
 » humerali uocata uena, incisa. In omnibus autem
 » affectibus ubi sanguis non ad extremũ ducendus
 » est, iteratã ablationẽ moliri præstat, interdũ co
 » dem die, ubi res ita exigat, interdũ postridie, præ
 » terquã si aliquando (ut antea admonitũ est) ad de
 » sectionẽ animi satagemus. Igitur affectis oculis,
 » humeralis uocata uena, uel eius propago quæ ab
 » ea in cubito abscinditur scẽta, euidentẽ utilitatẽ
 » celeriter affert, latere autẽ laborãti, uel pulmone,
 » uel septo

uel septo trāuerso, uel lieni, uel iecori, uel uentri, c
eā quæ p alā ad cubiti flexū puenit, incidere autē c
in his cōfert apprime quidem internā, sin minus, c
quæ ab ea introrsum uergit, alioqui eā quæ ab ip c
sa in brachij flexu, quam humeralis propaginem c
esse nostis, & alteram alteri copulare. Hactenus c
Galenus. Paulo post subdit. Adeo uero euidentē uti c
litate, & interdū etiā repēte affert uenæ sectio, e c
directo affectarū partiū facta, ut & ægrotātes ip c
si, & eorū necessarij, plerūq; stupidi maneāt, De c
inde quadā interiecta historia, dicit. Hæc igitur hi c
storia utrūq; indicat, & qd' uena sit secāda in hu c
iusmodi affectibus, qd' nūc nō erat propositū osten c
dere, & qd' edirecto affectarū partiū, & qd' affe c
ctis his quæ supra thoracē sunt partibus, incidere c
humeralē uenā opus sit. Quēadmodū aut prædi c
ctæ partes sanguine de brachij flexu (ut dictū est) c
misso, iuuātur, sic per inferna, pudēdi, uteri, & ue c
sicæ affectus. Rencs aut ambigunt, utpote primis c
partibus inferiores, & secūdis superiores, quando c
& uenæ in cubito sectioni cedūt, ubi phlegmone c
recēs fuerit, & sanguinis copia. In eo aut affectu c
quē proprie nephritida appellāt, incidere oportet c
poplitis, uel certe malleoli uenas. Uteri uero, ma c
gis etiam quā renum phlegmone, incisa cruris c
uena iuuantur. Nam à cubito factæ euacuationes, c
aliud etiam malignū afferunt, quoniā menstruas c
purgationes

▷ purgationes cohibent, sanguinem ad corporis su-
▷ periora reuellentes, quæ uero à cruribus fiunt, nõ
▷ solum reuellendi, sed etiam ciendi menses uim ha-
▷ bent. Idem Galenus decimotertio therapeutice
▷ quæres per quæ loca mitti sanguis debeat in prin-
▷ cipio phlegmonarũ, dicit. Ac definitũ iam est in
▷ his quæ de incidenda uena scripsimus, de uacuatĩ
▷ onibus id genus omnibus dicetur nunc quantũ sit
▷ ad rem propositam oportunũ. Deinde repudiata
▷ retractione, quæ fit per medicamenta, subdit, Sa-
▷ tius igitur sit, ubi partes quæ in ore sunt, phleg-
▷ monem accersere cœperit, deriuare ad nares pari-
▷ modo uenam quoq; ubi hæ partes sic laborant, inci-
▷ dere humeralem in manu, si ea non cernitur, me-
▷ diam, ubi iecur, pectus, pulmo, aut cor si afficiun-
▷ tur, internã, in angina, primas in manibus, secun-
▷ das eas quæ sub lingua habentur, at is quæ in occi-
▷ pite sunt, sic afflictis etiam eam quæ in cubito est,
▷ necnon eã quæ habetur in fronte. Renibus uero,
▷ & pudendo, & uesica, & utero sic habentibus,
▷ eas quæ in cruribus sunt sitæ, ac potissimum quæ
▷ circa poplitem sunt, sin minus, eas quæ iuxta mal-
▷ leolum, ac perpetuo quidem in omnibus quæ edi-
▷ recto est, ubi iecur phlegmone inuadit, quæ in dex-
▷ tra sunt manu, ubi lienem, contrã. Hunc posteri-
▷ orem textum summarĩã repetitionem esse, & Ga-
▷ lenus ait, & series indicat. Nam quod hic adiun-
▷ gitur de

gitur de deriuatione, illic subiungitur, sed uitã
prolixitatis causa subtrahimus. Rursus omnia con
sentiunt cum ijs, quæ in citato aphorismi cõmen
tario dicuntur. Quod scilicet nõ oporteat sangui
nem mittere in phlegmone partium iccore superi
orum per inferna, neq; contrã. Deinde quod huius
modi euacuationes inter initia conueniant, loco
retractionis factæ per medicamenta, posterior te
xtus continet. In priore uero pro exemplis antise
pasticæ euacuationis ponuntur. Quod etiam sint
antispases siue reuulsiones, ex superioribus cõstat
quia sanguinem in uenas reuellunt, siue remeare
faciunt trahendo. Ergo Galenus hac tota serie,
primum asserit in uniuersum non aliter conferre
sanguinis fluxum, quàm si edirecto fluat, & Hip
pocratem ea de re citat, & se idem experimentis
confirmasse, neq; ut tu, experientiam damnat. De
inde per partes explicat, primum scilicet nature
utiles sanguinis excretiões, id est suæ spontis sem
per edirecto fieri, insinuans medicis, eodem modo
esse agendum, ex quo constat sanguinem defluen
do per uenam cauam, seruare eandem differentiã
positionis, scilicet dextri & sinistri, quod non po
terat aliter quàm per experientiã probari, ratione
saltem euidenti, sed phænomeni rationem queri
mus. Ex quo sequitur, dextra uena incisa, dextræ
partis sanguinem, ut lateris dextri, expedite euac
uari,

euari, non autem sinistri, quod etiā manifeste colli-
gitur ex transitione pleuritis, ex uno latere in al-
terum post sanguinis missionem, de qua antea.
Rursus (etiā si maxime nolis) idem cognoscitur,
quia ex eiusdem lateris cum pleuritide secta uena,
manifesta utilitas sentitur, quod facilius deprehen-
ditur utroq; latere patiente, & in angina utraq;
fauce prætumida, post missionem sanguinis, uide-
mus alteram ilico detumescere, scilicet edirecto
eiusq; lateris, alteram uero minime leuari. Dein-
ceps id ipsum explicat, in ipsis artis operibus, pri-
mum in antispasi, siue reuulsione simplici, quæ nõ
fit euacuationis gratia, tum in ea quæ fit per cucur-
bitas, tum quæ fit uenæ sectione. Demum in euacua-
tione antispastica, per artem facta, ubi priuatim
agit de pleuritide, tanq̃ de re maioris suspicionis
subicit, et uenas brachij quas secare uelit, hoc est
maxime familiares, & uicinas loco affecto, & pa-
tentiores, ne quis auersionis nimis studiosus, uel
in crure, uel minus familiares secet. Subdit ex hac
sectione manifestam utilitatem percipi, & celeris-
ter, nimirum quia per eam plurimum sanguinis
& celerrime de loco egrotante euacuetur. Quam
rationem & Galenus alibi affert, & aduersarij,
neq; negare, neq; aliã uel falsam afferre possunt,
sed id solũ se timere dicunt, ne alia superueniens
defluxio, morbũ augeat, secta eiusdem lateris cum
morbo

morbo uena, quod metuendū non esse, supra ostē-
dimus. Nec ignoro quendam nouum scriptorem
conari hunc Galeni locum deprauare, & hanc ex-
positionem Rasio acceptam ferre, tanq̄ latere de-
xtero affecto, iubeat Galenus uenam brachij sinistri
incidi, & directo enim esse, siue secundum rectitudi-
nem patientis lateris, non autem dextri brachij
uenam. Sed sequentia satis produnt errorem, &
ipsa rerum natura (ut modo dicebatur) huic expo-
sitioni reclamant. Celerrime enim plurimū sangui-
nis de loco affecto euacuat uena dextra, non autē
sinistra, & proinde manifestam utilitatem celerit-
ter ostendit dextræ sectio, magis q̄ sinistra, neq;
dubium est quin opponat in ijs quæ subijciuntur,
paruā utilitatē magnæ, & tardam, siue eam quæ
post tempus apparet, celeri. Hūc enim locū nituntur
etiā corrumpere, & cū maxime delirant, tum
maxime sibi placent, tanq̄ post tempus dicat, pro
eo quod est, post principiu. Verū & hoc quoq; fals-
sum esset, neq; uerba Galeni hoc significare pos-
sunt, etiā si hominē eloquētissimū facias a gasone
barbariorē, & ex reliqua eius scriptoris diligētia,
& Asiatica eloquētia manifestū est (si ita intellex-
isset) ipsum aperte & luculēter dicturū fuisse, Se-
ctā eiusdē lateris cū pleuritide uena, statim appare-
re manifestā utilitatē, sed aliquāto tempore post,
morbu acrius recrudescere, idcirco ab hac non esse
incidien-

incidendum, sicuti de his medicamentis quæ humo-
rem in uaporē strenue digerūt, scribit, prohibetq;
& in phlegmone & in scirris. Nihil autem huius-
modi dixit, quoniā neq; sensit in re proposita. Ve-
rum quoniam sophistæ cōpelli uolunt, ac demon-
strationem exigunt, ubi materia ratione probabili
abunde confirmatur, ut probabili ratione conten-
ti sunt, ubi res demonstrationem exigat, controuer-
sia hæc per experiētiā dijudicetur, uictoriā enim
indubie reportabo, secuti & per rationem, sed non
credis experiētiæ. Ergo ex Galeni uerbis osten-
damus, edirecto dici dextra dextris, & sinistra si-
nistris, ut latus dextrum, dici edirecto brachij de-
xtri. Primum enim constat ex ijs quæ dicta sunt,
sanguine de naribus fluente, quod naris dextra, et
cubitus dexter, non autem sinister, edirecto sint,
& quod secta dextri cubiti uena, sanguis de nare
dextra deorsum reuellatur, quodq; distantia inter
narem & humerum, sufficiens sit ad antispasim
à superioribus ad inferiora, et ut dicatur uenæ sec-
tione e longinquo. Igitur sufficiens erit ad eun-
dem effectum distantia ab humero ad mammillā,
uel ad pleuritidis sedem, similiter & ad oculum,
ubi maiores uenæ sunt, & longitudine & ampli-
tudine, quàm à nare. Eadem ratione brachium de-
xtrum edirecto erit, dextro oculo & pleuritidi, nō
autem sinistrum, sed superius. Iusuper in alio textu
citato

citato scilicet. Ac perpetuo quidem in omnibus
 quæ edirecto est, tanquam exponens edirecto di-
 ci, dextra dextris, non autē sinistris, sicuti & flu-
 ente de naribus sanguine subiungit, Hepate enim
 phlegmonem pati incipiente, quæ in dextra sunt
 manu, licet uero, contrā. Quam expositionem de-
 derat & in sanguinis de naribus fluxu. Igitur
 si non aliud, saltem oculus, naris, hypocondrium,
 edirecto sunt brachio, dextra dextro, & ab ipsis
 fit retractio. Item Galenus secundo ad Glauconē,
 καὶ εἰ μὴ ἡ δεξιὰ μήτρα πεπόνθοι, ἐκ δεξιᾶς
 χειρὸς καὶ χελουὺς ἀπάγωμ τὸ αἷμα, ἢ δὲ
 ἀριστερᾶς πεπονθῆσ, ἐκ τῶν ἐμ ἐκείνῃ κατευ-
 θύ κώλωμ, τὸ γὰρ καθ' ἕξιμ, ὑπ' αὐτὸ λεγόμε-
 νομ, αὐτὸ τὸ ὅτι κατ' ἰσότητα, id est, Et siquidē
 dextra uteri pars affecta fuerit, ex dextra manu,
 & crure sanguinem detrahens. Sinistra autē affe-
 cta, à membris quæ illi edirecto sunt. Quod enim
 ab ipso cathexin dicitur, idem est quod ex æquo.
 Ex hoc loco intelligitur dextra pars uteri edire-
 cto esse & cruri & manui dextræ, sinistra uero si-
 nistræ, immo edirecto idē esse quod eiusdem late-
 ris, alioqui pars uteri sinistra, non potius edirecto
 cruris sinistri, q̄ dextri dicenda esset. Hæc si non
 sufficiunt, nescio quibus coniecturis explicari pos-
 set uocabuli significatio citra diffinitionem. Vti-
 tur autem his nominibus in eodem significatio

Η κατευθύ

κατευθύν, καθ' ἕξιν, κατ' ἰσότητα, id est, secundū
rectum, aut secundum rectitudinem, aut edirecto,
secundum habitū, aut ex habitu, aut eo modo quo
se habent, uenæ scilicet, & earum filamenta, uel
etiam totum corpus, aut ambo simul, ex æquo, uel
secundum æqualitatem, sed fortassis primario di-
cetur secundum rectitudinem, longitudinemue to-
tius corporis, & uenarum simul & cathexin, siue
eo modo quo se habent corpus & uenæ simul, se-
cundario secundum rectitudinem uenarum tantū,
& ut se habent fila, staminaq; uenarum tantum.
Proprie enim edirecto dicimus, ut idem sit quod
neq; dextrorsum, neq; sinistrorsum tendendo, sed
ex æquo. Quia tamen cogi te oportet, & cum ui-
deas apertis oculis, negabis te uidere, audi Gale-
num libro, de ratione uictus in morbis acutis, com-
mentario sexagesimosextimo, de Hippocrate lo-
quens, ait. Hoc etiam loco rursus explanat senten-
tiam genuinæ partis libri, unum enim quod omi-
serat, sed per ea quæ ab eo dicta sunt, facile subau-
diebatur, adiecit, hoc scilicet, edirecto affecti late-
ris faciendam esse uenæ sectionē. Quod his uerbis
indicat, internā brachij uenā secare oportet, ab eo
uidelicet latere quod dolore fuerit affectū. Gale-
nus hoc cōmētario significat, q; in pleuritide oportet
secare uenā ab eo latere, quod dolore fuerit affe-
ctum. Ergo neq; tu, neq; Rasius, si ita sentiat, effu-
gere pot

gere potestis, sed neq; A uicenna si uelit suppetias
ferre. Huius erroris causam eò refero, quia hic quar-
tus liber, nō habeatur apud Arabes, ut ab eius lin-
guae peritis audio. Neq; refert siue dixeris ab eo la-
tere, ut Copus noster traduxit, siue ad eas partes,
nā ubi barbarā traductio habet, secundū hāc (hūc
enim libellū græce nō habeo) liquet græce legi κατὰ
τὸ ταυτήν, scilicet ab ea parte, de dolore enim lo-
quebatur, neq; aliud referri in foeminino genere
potest, unde nascitur hic intellectus, Ad eas partes
in quibus cōsistit dolor, qualescunq; fuerint, quod
traductioni Copi cōsentit. Nūc exploremus genui-
nam illā indubitataq; libri partē ex qua hęc subau-
diri possunt. Hūc enim. 4. lib. supposititiū esse non
nulli putāt, cū tres primos Hippocratis esse, omni-
bus in cōfesso sit. Hippocrates libro secūdo, nume-
ro decimo, ait. Quum ergo ad iugulū dolor exten-
ditur, aut grauitas, uel brachiū, uel mammillā, aut
partes quæ supra septū transuersum sunt, infestat,
interna cubiti uena secāda est. Neq; dubites copio-
sum detrahere sanguinem, donec uel rubicundior
multo, uel pro puro, liuidus effluxerit, utrūq; enim
accidere solet. At si eas partes quæ sub septo trans-
uerso sunt, dolor afficit, sed ad iugulū nō ascendit,
tum uel nigro ueratro, uel peplio aluus ducenda
est. Hoc textu præcipit sanguinem detrahi usq; ad
sanguinis mutationē, nō qualēcunq; sed insignē,
H 2 ut scilicet

ut scilicet exquisite tollatur omne argumentū facultatis excretoriæ in costas irrumpentis, facientisq; dolorem, quod assequemur secta brachij uena, & amplissima, & breuissima, & eiusdem lateris, & natura eò tendente, grauitatemq; ob multitudinem efficiēte. Quia uero id assequi uix possumus, costis inferioribus laborantibus, ob nimiam distantiam, præsertim natura sursum minime uergente, nec grauantem dolorem in iugulo efficiēte sed potius deorsum tendente. Idcirco tunc purgationem, uenæ sectioni præfert. Hoc autem multo minus fieri potest sanguine misso ex aduersi lateris brachio, ut dextro latere laborante, ex sinistro, sic enim sanum sinistrum uelatus euacuatur, ex dextro autem paulatim transire potest humor in sinistrum, eius tamen uel nihil uel minimum euacuatur, uel certe post extremam euacuationem & incommodam. Omne enim corpus conspirabile est, & per omnem uenam exhauriri potest, sed non æque expedite undiq;. Igitur secunda est affecti lateris uena, si qua alia, utpote ampla & cum loco affecto maximam societatem habens, & proinde multitudinē in eo redundantem, doloremq; grauantem per consensum facile recipiens, sed præsertim costis superioribus, utpote nicinioribus egrotantibus, magna utilitas sequetur, & natura sursum uergente, cuius indicium, est dolor grauens.

Hoc enim

Hoc enim modo plurimum humoris e contrario quod
inutiliter fluit, retrahitur, remeabitque a phlegmo-
ne in uenam totius corporis communissimam, ca-
uam scilicet, per eandem uiam, per quam antea de-
fluebat, scilicet, per uenam quae costas alit, rursusque
ab ea communi uena expeditissime euacubitur per
uenam internam, per quam natura tendit, quod mul-
to melius est, quam uitiosum sanguinem, etiam si
posset, alio transferri. Itaque retrahimus humorem
ab eo loco ad quem natura incommode pellit, ad
eum locum ad quem natura commode tendit, quae
sunt conditiones optimae euacuationis antispasti-
cae. Has rationes Hippocrates summatim praestrin-
xit, sed suo more per signa, sanguinis enim muta-
tio exquisitae euacuationis indicium est. Dolor sub
septo transuerso minime ad iugulum ascendens,
distantiae et naturae deorsum tendentis potius quam
sursum, uel uitiose qualitatis potius quam quanti-
tatis, argumento est. Dolor in iugulo, et grauitas
in brachio aut mammilla, et partibus septo trans-
uerso superioribus, uicinitatem et naturae impetum
eò urgentibus demonstrat. Neque possunt Hippo-
cratis uerba aliter exponi, nam ut Galenus ait,
quod sermonis compendium prisci in primis coluerunt,
id omnes uel me tacente iam norunt. Atque hanc ob
causam, non Hippocrates modo, uerum etiam reliqui
priscorum, medio interim transgresso, primo ter-

H 3 tium ad

tium adnectunt. Si enim primū secundi sit signū,
atq; hoc tertium ex necessitate sequitur, ita tertium
primo subiiciunt, secundū prætereuntes. Nūc Gæ
leni commentariū recenseamus, nobis enim cōsen
tit. Constat (ait) Hippocratem euacuare humores
phlegmonē efficientes, per ea loca ad quæ uergūt
Hoc enim uniuersaliter uerū est quod ab eo dici
tur. Quæ euacuāda sunt, eò duci debent, quò na
tura cōmode tendit. Id autē sæpenumero euenit,
Et uarie quidē, pro uarietate partiū membranæ
costas succingētis, affectis enim superioribus eius
partibus, consentit condoletq; iugulus, brachium,
mamilla, inferioribus autē, septū transuersum,
Et hypocondria. Quum ergo dolor extēditur ad
superiora, secāda est in brachij flexu ea uena, qua
sanguis à laborante particula, in aduersum siue
econtrario quàm defluerit copiosissime, atq; ce
lerime detrahi possit. Vbi uero dolor uergit ad in
feriora, medicamentis purgandā est. Quod autē
subdit Hippocrates, Aut grauitas brachium infe
stat, uehementer eius sermonē confirmat, doloris
formam exprimendo, grauitas enim sanguinē eò
tendere, Et eius copiam colligi demonstrat, neq;
enim aliunde nascitur grauitas, quàm ex sangui
nis copia. Tensio uero, distentis parti laboranti
uicinis locis, aliquando per solum consensum do
lorem mouet, citra sanguinis copiam. Hinc igitur
collectam

collectam sanguinis copiã euacuari precipit. Hip-
pocrates secta in brachij flexu uena interna. Ha-
ctenus Galenus. Deinde tanquã notũ esset secan-
dam esse uenam brachij eiusdem lateris cum mor-
bo, ad quod scilicet humor tendit, & ubi grauitas
sentitur, subdit compendio, uenarum historiã ut
causam reddat, quur interna potius quã alia se-
cari debeat, quã non alia est, quã quia per eam
plurimũ sanguinis à phlegmone euacuetur, ac ce-
lenter, propter eius amplitudinẽ & breuitatẽ uici-
namq;. Subiungit. Attamen origo uenæ quæ per
axillam ad manum deducitur, proxima est origi-
ni uenæ quæ alit superioris pectoris partes, hanc
ergo uenam iubet Hippocrates incidi antequam
coëat cum ea uena quæ oritur ab humerali, hæc si
forte non apparuerit, eius loco secetur una interio-
rum quas ad brachium peruenire dixi, sed earum
nulla apparente, secanda est media, quæ internã
copulat humerali. Quòd si hæc quidem apparue-
rit, cernatur autem humeralis, aperienda est, hoc
prænotato quod uenæ sectio undecunq; fiat, eua-
cuat, à toto animalis corpore, non tamen ueloci-
ter neque æqualiter ex omnibus uenis. Nostra au-
tem intentio studiũq; eò uertitur, ut à loco phleg-
monem patiente, plus sanguinis ac celerius eua-
cuetur, quã à reliquis corporis partibus, præ-
sertim in morbis acutis, quod assequemur secta

H 4 uena

uena interna, quæ basilica dicitur, multoq; magis
quando redundans sanguis, uergit ad superiores
pectoris partes, aut illic grauitas præsertim in bra-
chio aut mammilla sentitur. Phlegmone uero infer-
riorum pectoris partium, ob septi transuersi pro-
pinquitatem, dolorem hypocondrijs communicât,
ergo sceta in brachij flexu uena, non magnopere
iuuatur. Cor enim medium est, quoniam, ut antea
dixi, uena quæ inferiores costas alit, oritur sub cor-
de, quæ omnia ideo dicta sunt, ut indicaremus Hip-
pocratem recte inuenisse, quod oporteat secare ue-
nam internam siue basilicam. Quia uero quanti-
tatem euacuationis determinat sanguinis mutatio-
ne, eius rei causam inuestigemus. Ergo sanguis in
latere inflammato collectus caliditatis causa à suo
colore euariat, reliquarum uero partium sanguis,
sui similis permanet. Etiã paulo post infert. Quod
igitur uacuatus sit locus phlegmone affectus, indi-
cio est sanguinis permutatio, quæ est euacuationis
quantitas sufficiens. Hanc ubi uirtus non tolerat,
prestat minus iuuare, quàm uires euacuatione pro-
sternere. Hæc expositio non solum nostræ non ad-
uersatur, sed eadem est, hoc unum prætermisit,
quod ex brachio affecti lateris, siue edirecto mit-
tendus sit sanguis, ut scilicet reliquũ haberet quod
scriberet in altero quarti libri commentario ante
citato, facile tamen ex dictis intelligitur. Insuper
adducit

adducit omnes rationes, quas tanquam nostras in
toto hoc opere comprobauimus, primum scilicet
scopum, in phlegmonarum praesertim acutarum
curatione esse, ut sanguis à loco inflammato, plus
quam aliunde, & copiosissime & celerrime eua-
cuetur. Et quoniam cauendum est ne ex accidenti
lesio subsequatur, non esse in ipsa phlegmone ut
in costis uenam secandam, etiam si situs permitteret,
neque adhibendas scarificationes, aut auarbitur-
las, quod millies & annotauit, & prohibuit. Sed
euacuandum esse sanguinem per eam uiam, per
quam defluerat, siue in aduersum, siue econtra-
rio, quod idem est, uidelicet per costarum uenam,
usque ad eius originem in uena caua, qui eius re-
tractionis terminus est. Hinc excipiendum eum esse,
uena qua expeditissime de corpore educi possit,
ea autem est interna affecti lateris uena, haec enim
amplissima est, & originis cum costarum uena
coniunctissima, & quoad fieri potest cum nulla
alia societatem habens, & quod omnium poten-
tissimum est, in eo membro ad quod natura ten-
dit. Pars enim affecta, multitudine grauata edire-
cto copiam repellit in amplissimam coniunctissi-
mamque uenam, sitque edirecto naturae tractus. Dup-
lex ergo scopus est, primus retractionis per costar-
um uenam, aduersus incommodum naturae motum,
alter euacuationis per uenam internam edirecto,

H 5 secundum

secundū conuenientē naturæ motum. Conuenientem existimarem utrouis brachio, neq; enim per phlegmonē transijt, non potest autē fieri ex opposito, uel certe nō expedite, his duobus scopis fit euacuatio antispastica ex brachio affecti lateris nō opposito. Constat autem hanc conuenire inter initia, tum quia retractionis, tum quia mitigandi doloris causa præcipitur, Dicet aliquis sectæ seruicēs hæc intelligi post totius corporis euacuationē, nec aliam rationē afferet. Verum o ingeniosissime, hæc est totius corporis euacuatio, maior tamē iuxta phlegmonem quàm à distantioribus, ut utile erat. Deinceps diluēdæ tibi sunt superiores rationes, quarum una sit Galeni & Hippocratis hæc. Detrahendo per distantiora, uires euacuantur, posterius à morbo nihil leuatur. Altera sit hæc, Partem uitiosæ materiæ aliò transfers, ergo altera sanguinis missione per propria iterum ad phlegmonem retrahes, nec euacuabis. Prima igitur nocet magis quàm iuuat, si sanguis sit uitiosus, ut ferè est mutati coloris argumento. Insuper uena brachij sinistri nō est è regione uenæ costarū dextræ siue edirecto, sed uena costarū sinistra aliquo modo. Hinc enim latere sinistro uacuato, fit attractio transitioq; interdū à dextro in sinistrū. Sit igitur tertia ratio, quod secta aduersi lateris uena uel nulla fit retractio, uel periculū imminet transitionis morbi

morbi in alterum latus, quod tibi supra quàm centies contigisse non dubito. Dum enim fit transuasio, transit in sanum latus materia nata pleuritidem efficere, ut quæ praua qualitate priorem fecerat, uel quæ in latere ægro quantitatem sufficienter prauam contraxit, certe deteriorem, si tamē non manifeste prauam, si adhuc robusta sit pars ægra, interdum pulsa multitudine post transuasionem subsequitur integritas, sed in hoc confidere, temerarium est, tum quia si tibi credimus, in principio nondum sunt cruenta exspuitiones, quibus qualitas sanguinis cognoscatur, tum quia melius celeriusq; succurritur ex affecto latere, ut ostēsum est, & dum feriariis, morbus non feriatur, sed magnitudinem assumit, & uires deijcit. Quid dicces de hac transitione? negari enim nō potest. Forte dicces esse materiã uenenosam & pestilentē, sed uide ne melius dixeris esse ueneficos & pestilentes qui talia præcipiūt. Quod enim praua sit materia, dubiū non est, quanq̃ non sequitur ipsam esse uenenosam, neq; pestilentē, sit tamē uenenosa, est igitur grauissimus morbus, à quo toties uidimus liberatos ægrotantes ilico post phlobotomiam magna ex parte, alios septimo die, tam paucos quàm nullos interiisse. At à mitiore multo pleuritide uestro more curati plures interierunt, alij uno & altero mense languidi, uix tussientes tandem euadunt, tam

duunt, tam pauci quàm nulli paucis diebus liberantur. Scio equidem quibusdam medicis hanc transitionem rarius contingere, sed qui trepide ad sanguinis missionē accedunt, medicamētis uero utuntur inter initia, quibus refrigerandi spissandiq; uis est, deinde parce sanguinem euacuant, hoc enim modo ex spissato affixoq; humore, parum potest in alterum latus transire, uerum ut parum nocent sic parū sanguinis missione iuuant, quos equidem probo tanq̄ operum inspectores, non uerborum, & qui malint parum prodesse, quàm multum nocere. Sed tedio scribendi afficior, tractemus tuas conclusiones. ¶ Prima est. In principio pleuritidis, ex sanguine mittendus est sanguis de parte longinqua, hoc certe uerum est, sed non de longinquissima, quamuis quid longinquius dici potest, quàm extra corpus, sed de longinquissima intelligis. Debuiſti igitur dixiſſe. Ergo uera eſſet conclusio niſi eſſet tua, id eſt male intellecta. Oportet, aiſ, iſtud oportet, quidnam ſibi uult? idem ne quod aliter fieri non poteſt? ſiſtere oportet deſfluxionem, igitur oportet diuertere in contrarium, non ſequitur, ſiſti enim poteſt deriuatione, refrigeratione, animi deliquio. Age tamen, oportet retrahere in contrarium, hoc enim uerum eſt. Igitur ad diſtantiffima, male colligis. Nam ut oſtenſum eſt, retractio fit etiam ad uiciniora, quàm quæ maxime diſtant.

Detur tamen

Detur tamen, quamuis falsum. Igitur sanguinis
missio per distantissima fieri debet, non oportet.
Fieri enim diuersio illa potest frictionibus, cucur-
bitulis, uinculis, & inunctionibus calfacientibus,
& ut retrahendum sit etiam, alia sunt facienda.
Thessalica enim stupiditatis est, in unoquoque mor-
bo non nisi unam habere intentionem. Euge medi-
ce rationalis, ex tanto suppositionum apparatu,
etsi omnes concedantur, uides nihil posse colligi,
ergo ad authoritatē refugis Galeni libro de phlo-
botomia. Ut autem summam dicam, incipientes
phlegmonas reuellendo euacuare expedit, diutur-
nas uero, ex ipsis, si fieri possit, affectis particulis,
sin minus, ex maxime uicinis. Incipientibus enim
inhibendum est quod defluit, inueteratis autem,
euacuandum est quod in affecta parte affixum est.
Ego uero neque ex ipsis affectis partibus, neque ualde
de uicinis sanguinem mitto, non enim scarificatio-
nes, aut cucurbitulas, costis dolentibus adhibeo,
sed ut Galenus eodē loco iubet, cubiti uenam edi-
recto secō, retractionis gratia, qua plurimum san-
guinis, ab ipsa phlegmone & celeriter, & poten-
tissime pariter retraho, pariter euacuo, quod secta
alia uena prestare non potest. Et si paulo diligen-
tius hunc Galeni locum obseruasses, inuenisses eū
summam recolligere ea quæ particulatim de uar-
ijs retractionibus paulo ante scripserat, quas cita-
uimus

uimus, non tamen per distantissima factis, & eodem capite in anginae principio, pro retractionis exemplo, ponit uenae sectionem in cubito edirecto, non, ut Auicenna in crure, minus tamen peccat Auicenna, quam qui ex altero brachio detrahunt, deinde secat linguae uenam ad deriuandum, utpote transeuntem per locum affectum, & ibidem compressam, impletamque; non aliter quam uinculis in membris impleri uenae solent. Hic sanguis igitur in uenas redire non potest, hinc secunda defluxione, & non aduersa uacuandus est, cui ualde ruditer comparares uenae internae sectionem edirecto in pleuritide, utpote non solum coniunctissima ampla uia cum uena caua, sed ex ipsa nascentis, & ideo per quam nihil e pleuritide uacuari potest, nisi prius remeet, retrahaturque; non solum in communes uenas, sed in uenam cauam totius corporis communissimam. Iam istud oportet, idem sit quod utile est, uel praestat. Retractio sane, dicitur primaria quidem, totius humorum mollis, quae simplicissima est, & per distantissima efficitur. Altera fit ad medium corporis usque, quam integram dicimus, ut sistitur sanguis fluens e naribus, cucurbitis affixis in liene, aut iecore. Tertia est retractio humorum, alicuius particulae solum, ut sanguinis missio de brachio dextro, fluente sanguine de nare dextra, quae sufficiens est, quis non sit integra & ad me

ad medium usq; & hæc fit per uiciniora, certa ta-
men distantia, fitq; aliquando non solum retra-
bendi in uenas, sed & euacuandi causa. Nonne igitur
præstat, totam humorum molem retrahere? non-
ne etiam plus quam alicuius partis solos humores?
Indubie utile est totam humorum molem retrahere,
sed suo tempore, ubi nihil obstat utilius etiam
est totam sanguinis molem retrahere, quam unius
partis tantum, ubi cætera paria sunt, nec obstat
contraria indicatio. Verum uitiosus phlegmones
humor, transferri se ad distantissima, & cum pro-
bo sanguine misceri prohibet, & ualide retrahi à
phlegmone, totusq; celeriter euacuari postulat, sal-
tem in morbis acutis, quippe qui acutæ deflexiõis
causa est. Sed euicino fit uelox euacuatio, & ua-
lidior attractio, elonginquo, imbecillius tardiusq;
retrahitur. Solum igitur ex distantibus eligendo
uiciniora, ob contrarias indicationes facienda est
prima uenæ sectio in communibus retractionis
euacuationisq; terminis, quæ est retractio per ma-
xime uicina, & utroq; nomine potest appellari.
Hanc quia Galenus non ubiq; antispasim aperte
nominauit, sed aliquando euacuationem, tot scrip-
tos indoctæ posteritati reliquit, maluit autem doc-
cere quid esset agendum, quam quo nomine esset
appellandum, ablata autem expulsionis causa, licet
totam humorum molem retrahere, id est, cõtrario
motu de

motu defluxioni mederi, quandoq; etiam sanguinis missione, quod uestre doctrine plurimum aduersatur, id tamen non licebat ante causæ ablationem. Ergo uerius collegisses, in principio pleuritis aliarumq; phlegmonarum acutarum conuenire euacuationem antispasticam, per uiciniores uenas & edirecto, hoc postulato quod oportet uehementer retrahere, celeriterq; euacuare à phlegmone potius quàm longissime, & imbecilliter retrahere, manente defluxionis causa. Nam Galenus secundo ad Glauconem de retractione scribit. Incidere autem oportet interiores uenas, hæ enim uiciniores sunt, magisq; edirecto patientibus membris. Nam si splene inflammationem patiēte, sanguinem uis euacuare interiores in manu sinistra uenas secato, & si hepate, eadē ratione in dextra. Si quid uero ex superioribus inflammationē habuerit, ueluti in his affectibus quos Græci synanchas & ophthalmias uocant, & quicumq; capiti aduenerint, eas quæ extrinsecus sunt, atq; edirecto. Instare quispiam posset, quod eodem loco Galenus dicat sanguinem ab utero ad brachium retrahi. Concedo, & utiliter in mensium profluuio non in phlegmone acuta, nisi cum profluuio coniuncta sit, ut intellexisse Galenū puto. Neq; enim præcipit, neq; de phlegmone partium inferiorum loqui uidetur, alioqui meminisset renum, uesicæ, pudendi.

prudendi. Infers ex conclusione hoc correlarium,
Inter initia pleuritidis dextri lateris, non est se-
cunda uena in brachio dextro, oportet enim ad lon-
ginqua diuertere. Et hoc uoluisse ais Radium Se-
rapionem, & Galenum iubentes ex aduersa manu
detrahere sanguinem. Infers etiam, consulte fieri,
si prius ex pede dextro detraheretur. Erras toto
cælo bone uir. Si enim plus confert ex pede dextro,
& magis euidenter, ut & tu postea affirmas, quæ
ex aduerso brachio, quur nunquam ex crure, sem-
per ex aduerso brachio detraxisti? Qui enim ex
brachio detrahi sanguinem sustinent, sustinebunt
& ex crure, & præstat ex bonis eligere meliora,
ubi non possumus utrunq; assequi. Præterea hæc
authoritates cum tuæ conclusioni aduersentur,
quomodo confirmabunt? Quamcunq; resposio-
nem dederis, eandem dabis & de brachio lateris
affecti. Nauem agis sine gubernaculo, quò te uo-
cat tempestas, deferris, si longinqua uocas quouis
modo distantia, non distantissima, parue tibi ap-
parent uenæ à cubito dextro ad pleuritidem dex-
tram? Sed nunquam uidisti dissectionem, ut opi-
nor. At in quatuor superioribus costis totidẽ sunt
uenæ amplæ sesquipedalis longitudinis, in inferiori-
bus, septem aut octo, quas uix una uenæ sectio
exhauriret, ut nihil à uena caua & basilica uacua-
retur. Hæc distantia nulla est, etiam si bipedali ma-
iore

I

iores

iore[m] basilicæ & cauæ uenæ quantitatem taceam,
uel si hæc nulla est, erit ne te iudice, magna ad cu-
bitum sinistrum? Sed hæc priori omnino equalis
est, ut antea demonstraui. Assume, Posterior autem
non est satis longa ad retractionem, & collige, Neque
igitur prior. Postea dilue obiectiones, quas ex au-
thoritatibus pro confirmatione tuæ conclusionis
adduxeras. Hæc errata adeo puerilia sunt, ut me
uerecundia legendo suffundant. Rectius certe in-
tulisses, Ergo in pleuritidis principio, secunda est
vena interna brachij ex affecto latere, non autem
cruris, uel brachij aduersi. E contrario enim deflu-
xionis trahit, & magis edirecto est quam hæc, &
uicinior quam illa. Quia tamen non tibi solū, sed
& mihi pugnant ea quæ probationis loco subijcis
dicendum nobis est primo Rasijs sententiæ. Dixit,
ait, quod de Hippocrate intelligis, sed parū exerci-
tatus in lectione eius scriptoris uideris, ubi enim
ab eo simpliciter, Dixit, de Galeno intelligitur,
quem in eo honore habuit, in quo Pythagoram sui
discipuli, quippe cuius sententiã pro ratione habet
Sed prior pars, posterioris explicatio est, priora in-
quam uerba sunt Rasijs, posteriora Galeni, secundo
libro de ratione uictus in morbis acutis, commen-
tario decimo, quæ tu paulo post, in tuam partem
citasti, ego paulo ante in meam, ex Galeni uerbis
exposui. Galeni uero mens, Galeno notior fuit,
quam uel

quàm uel Rasio, uel tibi, si tamen Rasius eadē te-
cum expositione cōgruit, ut enim barbarus sermo,
nullū intellectū propriū habet, sic trahi potest, ut
manus diuersa dicatur quæ edirecto est. Arabes
enim ut ab eius linguæ peritis audio, unū nomē ha-
bent, quale apud nos est eregione, quod uidelicet
significat, uel edirecto, uel ex opposito, & certe
origo uenæ costarū, & basilicæ eiusdē lateris sitæ
sunt edirecto, & in uena caua opponūtur, secūdū
corporis longitudinē, ac rectitudinem, potuit ergo
Rasij interpres in uertendo hallucinari, ergo potuit
it & Rasius errasse, neq; enim magnopere curo,
sed postea dicemus quæ sit Rasij sentētia, nūc satis
sit Galenū, nec ita scripsisse, neq; intellexisse, ut
tu sentis Rasiū sensisse. Ad reliqua scriptorū testi-
monia, in fine operis dicemus. Quod autē ais Ga-
lenum præcipere secandā esse uenam brachij, quæ
educatur sanguis in aduersum quàm defluat. Id ue-
rum est, & se cta uena brachij interna affecti late-
ris, nō solū cōiecturis, sed ipsa Galeni se exponen-
tis enarratione, id fieri antea ostendi, nō autē ex
aduersi lateris brachio. Neq; colligi potest ex bar-
bara traductione, quamuis ex puritate Græca per
omnia Arabicæ barbariei lupanaria ad nos deueni-
re sine labe nō potuerit. Manifestum enim est, his
uerbis non aliud significari, quàm retractionē, si-
ue quod euacuatio fiat à phlegmone retrahendo
humorē per eandē uiam per quā defluxerat, hoc
I 2 est per

est per costarum uenam ad cauam usq; , neq; tam
partium quàm motuum contrarietas significatur.
Attamen termini horum motuū contrariorū, quor
dam modo contrarij dicuntur, scilicet pleuritidis
locus & uena caua, quamuis non extreme, oppo
nitur enim & extremum extremo & medio. Ergo
quoniam humor cuius situs secundum naturam
erat in uena caua, ab ea defluendo ad pleuritidis
locum discessit ad situm præternaturam, erit eius
integra, quantum ad eum situm attinet, medela, id
est, defluxionis medela, retractio ad uenā cauam.
Vbi uero ad eam uentum est, quur transfertur hu
mor in oppositum latus? Non enim illic ullā com
moditatem efficiet, semper autem nocumentum,
aliquando etiam graue, reliquus ergo motus per
uenam cauam & basilicam non proprie retractio
est, sed euacuatio retractionem efficiens, simulq;
totum corpus expurgans, quæ ideo aliquando anti
spasis, aliquando euacuatio, frequentius antispas
tica euacuatio appellatur. Ergo quod ad rem præ
sentem attinet, manifestum est humorem qui à ue
na caua per costarum uenam ad pleuritidis locum
defluerat, redeundo à pleuritidis loco per costa
rum uenam in uenam cauam, trahi in contrariam
partem, siue in aduersum, siue econtrario quàm
antea deflueret, uel, ut uno uerbo dicam, retrahi,
parum tamen ad rem facit quod cubitus dexter
pleuriti

pleuritidi dextræ sit aut non sit contrarius. Quia
tamen putas quod nemo mentis compos diceret, cu-
bitum dextrum pleuritidi dextræ opponi (sic enim
dixerim potius quàm brachium lateri) sed sinistrũ
dextræ, experiamur an forte hoc unum uerum in-
ter tot falsa tandem tibi exciderit, hoc enim tibi op-
tauerim. Ita nectis syllogismum. Omnia contraria
sub eodem genere plurimũ distant, sic enim à Gal-
leno diffiniuntur, at pleuritis dextra & cubitus
dexter, non plurimum distant, non sunt igitur con-
traria. Maecte, noua uirtute cõclusisti me. Item uer-
sa uniuersaliter propositione, quoniam diffinitio
est. Quæcunq; sub eodem genere plurimum distãt,
contraria sunt, pleuritis dextra & cubitus sinister
cum edirecto sint, secundum latitudinem plurimũ
distant, sunt igitur contraria. O ingeniose tandem
ratiocinaris, quur hoc tam diu nos cælasti? Ergo sa-
gitta sursum eiaculata, per stadium, rursusq; per
eandem uiam in pristinum locum descendente, nõ
erunt contrarij inter se ascensus & descensus, quo-
niam neq; fiunt à contrarijs terminis in contrari-
os terminos, non enim plurimum distant, quæ di-
stant stadio, sed mundi summum & imum. Et quo-
niam omnis medela fit per contrarium, dubium nõ
est, quin omni morbo calido adhibeas opium aut
glaciem, aut si quid glacie frigidius excogitari po-
test, item omni frigido ignem, nec satis erit adhibu-
isse,

isse, nisi cremaueris, & ad igneam caliditatem ut
 pote distantissimam, & idcirco contrariam dedu-
 xeris, quoniam neq; putas humorē retrahi ad con-
 traria, nisi ad extremam distantissimamq; corpo-
 ris partem, tractu perueniat, eris igitur huius sub-
 tilis doctrinæ inuentor & nouæ sectæ conditor.

> Galenus tamen undecimo therapeuticae ait. Ex ip-
 > sa rerum natura, contrarium inuenies, habens sci-
 > licet quò pro illo discernendo spectes, confessum
 > illud, contraria esse quæ sub uno genere plurimū
 > inter se distant. Ergo si in illo genere quod medio-
 > cre est, intellexeris (id uero est, ut sæpe monstraui-
 > mus, quod inter extrema est medium) infinitam
 > quandam contrariarum rerum multitudinem, quæ
 > maioris minorisq; ratione inter se dissideant, ex
 eo inuenies. Ergo Galenus facit quædam contra-
 ria extrema, quæ nō tam usus q̄ discernēdorū alio-
 rum gratia sunt, ac ueluti exemplaria, facit & con-
 traria media, & ea quidē infinita, inter quæ conti-
 neantur transmutatiōes a medicis factæ, & ponit
 ea tum in qualitate, tū in quantitate, neq; conten-
 dendum putat de nomenclatura, siue contraria, si-
 ue ut Aristoteles, opposita uelis appellare. Sunt
 > enim opposita inter se remedia, ut ipse ait. Siqui-
 > dem multitudinem sanat uacuatio, defectum nu-
 > trimenta. In summa, quid exuperat, ablatio, quod
 deficiēs est, adiectio. Ergo sefellerūt te nomina, nō
 autem

autē oportet nominibus falli, nec cōtrarietate ex
nominibus accipere, sed ex ipsa rerū natura, multi-
tudini euacuationē utrāq; opposuimus, sed anti-
spasticam, ut sine noxa esset. Quod autē nomini-
bus opponatur, dextra pleuritis sinistro cubito ap-
parere potest. Quod uero ex ipsa rerū natura non
opponatur, sed dextra pleuritis internæ dextri cu-
biti uenæ, hinc cōstat, q̄ partiū cōtrarietas quantū
ad attractionē attinet, eodē modo est accipienda,
quo & cōtrarietas motuū. Ergo cū oēs corporis
partes sint quodā modo inter se cōspirabiles, con-
trariæ erūt censendæ quæ expedite trahūt humorē
à se inuicē. Omnis autē actio quæ motu perficitur,
ut Galenus demonstrauit, fit secundū staminū si-
ue filamentorū habitū, siue ea sit animæ, ut in ner-
uis, siue naturæ, ut in gula, uentriculo, intestinis,
uesicis, uenis. Venæ duplici filamētorū ordine tex-
untur, orbiculari, & oblongo, orbicularia siue trans-
uersa expulsionī seruiūt, quoniā contracta expri-
mendo pellūt humorē, oblonga attractionī dicata
sunt, tum quia contracta spatiū breuius reddunt,
distantesq; partes propius admouentur trahendo
humori, tum quia sicuti uidemus magnetem aut sy-
deritem, longo ac perpetuo acū ordine ad distan-
tia transmitti, uellereq; & sustinere ferrum quod
interrupto ordine minime sustineret, sic uis attra-
hendi distantibus partibus distribuitur non solo

sanguine, sed etiã ipsis longis rectisq; filamentis. Perpetua igitur siue continua attractio crit, quando filamenta longitudine continua erunt, alioqui uel non continua uel non expedita. Igitur contrarie positione partes erunt, quæ secundum filamentorum rectitudinem distant, siue quæ connectuntur perpetuo oblongi staminis ordine, & in eo genere extrema contraria quæ maxime distant, media quæ medio modo. Constat autem non solum origines uenarum dextrarum, uidelicet interne & costarum, hoc oblongo stamine cõnecti, sed idem stamen à pleuritide ad internam in cubito uenam sine interruptione deuenire, ergo pro quãtitate distantie, maxime opponuntur & earum uenarum ora & pleuritis dextra internæ in cubito uenæ, quoniam rectitudo integerrima est. Item quia edirecto utriusq; costarum uenæ, dextræ scilicet & sinistræ transuersa uenæ caue filamenta, quamuis expulsioni ipsius caue depurata, non integros circulos absoluunt, & os unius costarum uenæ, ori alterius connectunt, & in cõtinuum ac directum oblongi utriusq; staminis iacent, secundario quodam attractionis munere funguntur. Ergo & earum ora opponuntur, suntq; edirecto & pleuritis dextra, consimili parti in latere sinistro, minus tamen proprie quàm internæ dextri cubiti uenæ, eadem ratione quia nulla longitudinis filamenta perueniunt

niunt à dextra uenarum costa ad internam in sini-
stro cubito uenam, neq; earum uenarum ora oppo-
sita censenda sunt, neq; pleuritis dextra internæ si-
nistri cubiti uenæ. Ab altera enim ad alteram at-
tractio uel non continua, uel nō expedite fiet. Hæc
est ratio propter quam non oportet (ut uos consue-
uistis loqui) transcendere duas diametros, non so-
lum extremas ut tu exponis, sed neq; medias, huic
enim consentiunt phænomena à nobis supra cita-
ta, Rursus hæc causa esse potest, quur secta exteri-
oris malleoli uena, plus coxendicum dolorem le-
uat, quàm interioris, siquidem à Rasio dicitur per
experientiam deprehendi uerum esse, ut & nos ue-
rum esse æstimauimus, nondum tamen diligenter
obseruauimus. Quod enim adducunt de corporis
& uenarum spiraculis, fabula simile est. Has re-
titudinis causas ex naturalibus actionibus du-
ctas, nemo ante nos, quod certe sciam, ad sangui-
nis mittendi rationem deduxerat, ut pleraq; alia
in hoc libello de nostro adiecimus, & ut superioribus
annis medicinam Parisijs enarrantes, magno
doctæ iuuentutis concursu, elementorum naturæ
contemplationem prorsus oblitteratam, partim au-
ximus non adeo utiliter, partim in priscū nitorem
restituimus, quam bona discipulorū posteritas eti-
am nūc colit non negligenter. Et summis doctorū
auditorū, oculatorūq; studijs tyrannū Auicennam

Scholis exegimus exilioq; multauimus, unde non-
dum postliminio redijt. Afferuimusq; libertatem
rationis, & experiētiae aduersus imperiosam uni-
us hominis authoritatē. Simulq; docuimus ex ele-
mentorū principiorūq; naturæ, & uiriū natu-
ralium cōtemplatione duci posse, nō solū inanem
garrulitatem ad imponendum rudi uulgo, sed &
euidentes ad medendū indicationes, quæ omnia
Galeno debemus, Aristoteli, Hippocrati. Scilicet
hæc fecimus, ut inueniremus in Lusitania hominē
nouum, qui in nos inueheretur, honestaretq; titu-
lo mali medici & naturæ contemplationem igno-
rantis. Sed ut redeamus unde sumus digressi. Cum
sit eadem distantia à pleuritide dextra ad inter-
nam in cubito & dextro & sinistro uenam, sitq;
e directo cubiti dextri, non autem sinistri, erit mai-
gis contraria pleuritis dextra, cubito dextro, q̄ si-
nistro, quoniam seruetur rectitudo, & eadem di-
stantia, immo cubito sinistro contraria erit pleuri-
tis dextra, nomine tantū & dictionis appellatio-
nisue figura, nō autē rei natura. In hoc igitur, ut
in alijs, errasti. Infers deinde, quod alijs cōsentien-
tibus, in pleuritide dextra ex sanguine cōsulte de-
trahetur sanguis in principio ex pede dextro. Ad
hoc antea diximus, quāuis seruetur rectitudo, quur
nō ita agendū sit, cui adde, si lubet, attrahi hoc mo-
do uitiosum sanguinē à iugulo & interna dextri
brachij

brachij uena ad pleuritidē , & Galeni testimoniū
contra te citas , ut euidenter ostendimus . Quod au-
tem ais alijs cōsistentibus , cōstat significare mul-
titudinem , & robur uirtutis . At Galenus decimo
tertio therapeuticae , & quarto libro , de ratione ui-
ctus , in morbis acutis scribit , hęc alia significare ,
modum siue quantitatem euacuationis , partis uero
positū indicare , per quę loca sit euacuādū . Quām
uero consulte fieret id quod præcipis , audi Galenū ,
qui quarto libro , de tuenda ualetudine in corpore
maxime pleno , & omnino in principio acutarum
phlegmonarum , antea scilicet quām adueniat fe-
bris , nempe in labore phlegmonodæ , siue inflam-
matio , sanguinem detrahit , ut nos detrahendum
scripsimus , id est , retrahendo per propiora , ait .
Porro æstimare diligenter oportet , qui sanguinem c
sunt missuri , in thoracene , dorso , & lumbis , ten- c
sio pulsansq; dolor figatur , an in capite potius , & c
collo . His enim affectis humeralē uenam diuides , c
maxime si repletum caput & calidum sentiunt , il- c
lis uero internā . Si uero omnino æquabiliter lassi- c
tudo corpus occupat , ambarum mediā . In summa , c
eadem præcipit quę ubiq; , sed præsertim in libro
de phlobotomia ad quem remittit . Cum igitur duo
affectus sunt implexi , præstat utriq; succurrere , q̄
alteri tantū , undiq; uero tollitur multitudo , non
undiq; succurritur inflāmationi , uel nō celeriter .

Lege ea

Lege ea quæ subdit, & uidebis eū præcipere quan-
doq; tertiam sanguinis missionē, sed transferendi
alio sanguinis gratia, siue conuertenda humorū
molis, quod alij primum faciunt. ¶ Secunda tua
conclusio est de parte longinqua. Intelligendū est
sic ut non transeas duas diametros, ita enim præ-
cipit Auicenna, Hoc tamen uerum est, nisi corpus
sit ualde plenum, de quo non plus ad præsens, ne
legentes fastidio afficias. Alijs ergo scribis, non
mibi, opus scilicet cedro dignum, immo fabulam
omnibus notissimam, nulla autem ratione confir-
matam, sed huic repugnat superior textus, de tur-
enda ualitudine, quo intelligitur, quod libro de
phlobotomia dicitur. Renes ambigere in phlegmo-
ne recenti & multo sanguine, ubi nondum certa
nephritis est, non significare nephritidos princi-
pio, sed in lassitudine phlegmonodæ, hæc enim nõ-
dum nephritis est, nec tam ualidum tractū quàm
multam euacuationē totius corporis desyderat,
quod brachio melius quàm crure fit, citra grauem
offensam, & animi defectū, & sic distātia compē-
satur, sed tu neutrius tui dicti causam reddis, nos
primi reddidimus eam, quæ sententiā tuā euertit.
Ponis etiam exceptionem. Iure igitur metuis ne
legentes fastidio afficias, ¶ Tertia tua conclusio.
Fluxa materia & transacto principio, oportet in-
cidere uenam in parte eadem, uel coniuncta, quasi
uero pleu-

uero pleuritis esset in cubito. At Galenus hūc ter-
minum, secundæ ueniæ, constituit libro de phlobo-
tomia. Quidam uero (ait) extremum secundæ ue-
næ tempus definiuerunt esse quartum diem, Sub-
dit, In quibus determinauimus sanguinis detracti-
one esse opus adhuc transfluente eo, & nondū uio-
lenter detento in aliqua particula, quæ copiam re-
cipit. Sed Galenus præcipit non amplius fluente
sanguine, siue in diuturna phlegmone, euacuare
quod affixum est in ipsa particula, siue infarctum
aut incuneatum, ex ipsa particula si fieri potest,
sin minus, ex proximis. Et hoc uerum est, id quod
facimus, Galenum imitati, extenuantibus medica-
mentis spuitiones mouentibus, uel si materia per-
tinacius in uenulis hæreat (ut fit interdum, uel ob
refrigerationem, uel ob materiæ crassitiem) scarifi-
cationibus atq; cucurbitulis, ipsi parti laboranti
aut proximæ appositis, uel si partis natura nõ per-
mittat, ut in oculo & lingua, earū uenulas in alio-
rum uicem aperimus, Sed Galenū alibi in testem
citauimus, affixum enim incuneatumue est, quod
tractu ex corporis habitu in communes uenas re-
dire non potest, per quam uiam defluxit, idcirco
secunda defluxione uacuandum est, non aduersa,
tibi uero affixum uidetur, quod per basilicā eua-
cuatur, quod scilicet non solum in uenas, sed in cõ-
munissimam totius corporis reddit. Hanc ego &
doctissimus

doctissimus, quisque retractionem appellabimus.
¶ Quarta tua conclusio. Si pauca est materia &
corpus plethoram non patiat, oportet de parte ea-
dem uacuare. Eandem partem abusiue uocas, basi-
licam affecti lateris. Ceterum ubi corpus exquisite
purgatum est, non est quur ipsa incidatur. Attamen
si plethoram non patiat, sed adsit humorum equali-
tas, detrahendus sanguis est ob morbi magnitudi-
nem, id quod intelligis. Quur ergo a uobis detrahi-
tur sanguis ex aduersi lateris brachio non semel
tantum, aut bis, sed ter, quater, etiam quinquies,
quamdiu scilicet permanet dolor? quæ tanta ple-
thora est quæ sic non tollatur? Exhauriretur etiam
fons. Tandem ægri resolutis uiribus stertendo mo-
riuntur, spirare nequeunt, creduntur tamen, ut
audio, sanguinis multitudine strangulari. Quod
malum una edirecto phlobotomia (experire) uel
quod maximum est, altera ferè semper confestim
leuabit. Quinetiam cum pars hominum longe ma-
xima plethoram non patiat, ut antequam in mor-
bum incidat, etiam eorum qui pleuritidem incur-
runt, ut & Consiliator scribit, & plethoræ signa
declarant, simpliciter dicendum est, in pleuritide
secundam esse internam cubiti uenam, ab eo late-
re quod dolore fuerit affectum. Artium enim pro-
positiones accipiendæ sunt ut uere, uel omnino uni-
uersaliter, uel plerumque, Hanc simpliciter enuntia-
ueram te

ueram te presente & percunctante, nil de pletho-
ra locutus. Male igitur reprehēderes, nisi ego nūc
me reum nouiter constituerem, noui criminis con-
fessione. Principium diffinis coctionis signis, ne ri-
deam uestram Thessali dyatritum, attamen sumi-
tur ex Auicenna. Primum enim ex crure affecti
lateris, deinde bis ex brachio aduersi lateris detra-
hit sanguinem. Deinde post aliquot dies qui non
possunt esse pauciores duobus, ad brachium affe-
cti lateris accedit. Ergo non permittit accedere ad
brachium affecti lateris, etiā si primo die ter san-
guinem detrahas, ante quartam diem. Et quamuis
ad rem presentem nil necesse sit nobis coctionis si-
gna afferre (liber enim quem citas, Galeni nō est)
male tamen distinguis. Signum enim manifeste
coctionis est, si rubidum spūto uehementer commi-
stum sit, & rubidum impermistum periculosum,
ut Hippocrates, & post eū Galenus scribunt, spū-
tum uocant, quale natura fit in sanis. Sed hos erro-
res non tam tibi quā inopia bonorū librorū, atq;
fideliter traductorū adscribo, tuā uero diligentia
laudo. Tuam expositionē Galeni, de uenæ sectiōe
in pleuritide, libro de phlobotomia supra reprehē-
dimus. Hanc in quodam glossematario mihi fa-
miliariter congressus ostenderat Guiscardus me-
dicus, uir neq; malus neq; indoctus, qui ad ueri-
tatem relicto uulgari errore redierat, nō tam mea
admonit

admonitione quam infelici successu. Anno enim
quē supra dixi, præter cæteros, plures quàm quin-
decim in una domo perierant, eo medente nemo
euaferat, uiam aliam aggressus, aliquot eadem ho-
ra sanauit, unus tantum grauiter egrotauit, non
tamen periit. Acito Helino sene, purgabat se, uel
potius delicti ueniam petebat. Tum senex, Non
deliquisti, inquit, fit enim ex brachio affecti late-
ris diuersio. Narrata historia, me percunctatur
quos huius sententiæ authores haberem, Galenū
inquam, Hippocratem, rationem. Tum mihi osten-
dit glossematarium qui Galeni literam corrupe-
rat, etiam hoc uerbum post tempus, de principio
exponens. Ego contra, Galeni et Hippocratis tex-
tum ostendi. Tum ille ingemiscens, Petre suauissi-
me (inquit) hæc perdita glossa, filium meum uni-
cum interemit. Is filio uestram diuersionem præ-
ceperat. Tum ego. Deuisti potius omnium mor-
te, quàm unius morbi magnitudine deterreri. Hoc
inquit, est quod me excruciat. Reliqua tua dicta
non refero, quia partim improbata sunt, partim ar-
bitraria. Et fabulæ eiꝯ; anili proxima mihi uiden-
tur, unum admiror quod dissuadere uelis, ne expe-
rientiæ credamus, nam etiã si Galenus id diceret,
ridiculus haberetur, etiam suo iudicio. Quod au-
tem hæ temporū mutationes hos morbos hoc tem-
pore attulerint, quodq; plerumq; ita eueniat id
sola

sola experientia monstrat, secundum Galeni sententiam. Quod autem nunquam aliter euenire queat, ne in uno quidem, id non sine naturæ contemplatione sciri posse existimat. Et Hippocrates secundo aphorismorum ait. Quibuscumq; cibus præter naturam ingestus est, morbum facit, hoc in dicat ipsa curatio. Quæ probatio, Galeno solennis est, uocatq; celebre illud Hippocratis uerbum, & unum indicium ponitur in his quæ iuuant, uel nocent, & Galenus libro de phlebotomia eo post historię narrationem de ophthalmia, hac ratione sola colligendum putat detrahendum esse sanguinem, & ex humerali, & edirecto. Remitto igitur te ad Galeni librum de causis procatarctis. At si factum neges, non sunt longius quàm ab urbe querenda testimonia, & in corpore pleno & in morbo habente signa lethalia, qui morbi, sine auxilio non consueuerunt subito sanari. Præstitisset igitur Phænomeni causam reddere, quàm dicere naturæ robur tantum fuisse, ut non solū curaret morbum, sed correxerit errata mali medici. Sic loquuntur qui ita agunt, ut tu. At tuis egrotantibus fortassis plerumq; optandum foret, quod eorum natura adeò robusta esset, ut cū possit superare morbum, posset etiam mali medici errata corrigere. Sed cōuitari nolo, hæc dicteria in omnes medicos

K dicuntur

dicuntur, iure uel iniuria. Quia tamen rationē pō-
scis, scripsi, ut uideor uidere non improbabilem.
¶ Nunc ad scriptorū testimonia dicendū. Afferes
primo authoritatē Pastranæ, Auicennā dicere uo-
lui, semper hic erro, citas & alios Arabes, uerum
hi sunt quos mihi aduersarios constitui, non te, de
te enim non aliter sentio, q̄ Aeneas Maronis de
Helena in excidio Troiano. Non ita, namq; & si
nullū memorabile nomē Fœminca in pœna est, nec
habet uictoria laudem, Extinxisse nephas, tamen
& sumpsisse merētis Laudabor pœnas, animūq;
explesse iuuabit. In hac censura intelligo quòd no-
lim in hanc partem accipi, ut te uituperem. Multi
(scio)ferent & de te & de me securā sententiam
uel oscitanter, id munus iure suo, ut putabunt, sibi
uindicantes, qui tibi pares non sint, multa enim le-
gisti, quod uirtuti tuæ ascribo. Quòd autē in præ-
uersos expositores, & barbaras traductiones inci-
deris, & quæ intelligi non possint, hanc fortunā
tam deploro multis cōmunē. Vnū moneo, ut in le-
ctiōne præsertim Galeni, nō tam simplices enun-
ciationes, quàm seriem & uim demōstratiōis ob-
serues. Quòd autē ad testimoniorū fidē attinet, di-
co me nō eo insanie deductū esse, ut paucorū ho-
minum uerba, communi hominū saluti præferen-
da putem. Præterea in scriptorum controuersia,
imitandos

imitandos esse non plures, sed meliores, Galenum
& Hippocratem primos summosq; fuisse, eadem
mecum sensisse. Ponderanda esse uota, non nume-
randa. Hos fuisse inuentores, alios aggregatores.
Hos naturæ & operum artis inspectores, alios li-
brorum ab his scriptorū eorum fidei non derogari
re. Nam Auicennā fecisse se Galeni interpretem,
Rasio Galeni uerba pro ratione haberi, eo loco
apud eum esse quo Pythagoras apud suos discipu-
los, satis esse ipsum dixisse, non esse aliam maio-
rem rationem requirendam, grauissimas Galeni
& Hippocratis sententias, leuioribus testimonijs
non esse eleuandas, præsertim sine ratione, sine ex-
perientia, immo contra rationem, cōtra experien-
tiam, & solo uulgi clamore, ut alij fuerint magni
fuisse tamen homines, potuisse errasse. Galeni &
Hippocratis quedam loca male intellexisse potu-
isse. Simplicibus enuntiationibus magis quàm
rationi animū intendisse, & in ea re ualuisse eam
totam gentem recolligendis, uidelicet breuibus sen-
tentijs potius, quàm in demonstratiua methodo.
Galeni & Hippocratis quedā opera defuisse Ara-
bibus, ut diximus, quæ huius erroris causa fuerūt,
alioqui Galenum in hac re minus explanatum fu-
isse, quàm in plerisq; alijs. Docuisse enim particu-
latim ubi singulæ species retractionis conueniāt,

K 2 & quid

Et quid in morbis acutis agendum sit, sed non adeo aperte per evidentes indicationes omnium vires methodo constrinxisse, uno saltem loco, forte sperasse neminem in rebus tam evidentibus erraturum, ubi ille artem non absoluit, neminem attendasse. Quendam contrarietate indicationum non inspecta, et suasiuncula in turbam idonea victum, precipitia haec parasse, alios popularem viam ingressos sibi minus cauisse, et Galeni textum suae uoluntati, aut persuasioni repugnantem peruersa interpretatione corrumpere uoluisse. Reliquos serui pecoris modo, pedibus ire in hanc sententiam, qua trahuntur. In hac caligine recurrendum esse ad rationem, et experientiam. Si enim aliquando licuit quando desijt licere, iniquum esse, me obligari in Lusitania ad retinendam eius hominis dignitatem, quem Parisiorum schola expulsi. Si duces sunt sequendi, ducem omnium Hippocratem, Galenum apud me esse, qualis Hector Paridi, Nafone dicente.

Omnia si dederis, nunquam dabis Hectora fratrem.

Vnus hic innumeri militis instar erit.

Illo duce hoc exercitu aduersus reliquam imbellem turbam, mihi uictoriam promitto. Neque unquam fuit quin alioqui ueritatem olfacerent, quamuis tractare non auderent, ob hanc temporum malignitatem

lignitatem, qua omnes mancipati scētis seruire coguntur. Nam & Auenzoar Arabs meminit quorundam sui temporis sententiarum & rationes afferentium sophisticas (ut ipse putat) an legitimas ignoreo, potest enim uerum & ex ueris & ex falsis, item & recte & uitiose colligi, is ex solo aduersi lateris sanguinem detrahit, nec rationem, nec aliud adducit quàm patris sui usum, detur hæc ignorantiae uenia, affectui filij in patrem. Prohibet ne edirecto mittatur. Credo (inquit) certissime quod hoc est omnino mors agrotantis. Credit, ergo nescit, nec per rationem, nec per experientiam. Ego uero frequentem huius rei experientiam habui, quod ualde & subito conferat, sed meæ positioni æque ac tuæ barbarus ille aduersatur, qui nunquam edirecto mitti sanguinem permittit, & probationem adducit, quam quilibet bubulcus aduersus doctissimum quemque afferre possit. Credo (inquit) certissime quod hoc sit omnino mors infirmi. Sed dicendum potius fuit quur crederet, non autem conuiciandum tam sordide. Verū hunc suis uerbis reprehendere, aut certe aspernari facile est, qui subdit se credere non posse fieri quod quis à pleuritide perfecte sanari possit ante sexagesimum diem, euacuatam enim causa, nō tam diu durat morbus, & post sanationem non est metuenda recidiua, quod suo

medendi more metuendum est. Quum ergo has
questiones in solis scholis agitaremus, nec aude-
ret quisquam rem nouam experiri, iuuenis quidam
qui me familiariter utebatur, iam persuasus, extra
urbem Parisiorum astate, quaestus causa, profectus,
forsitan temere, at certe feliciter, plurimis sangui-
nem edirecto misit, omnesque ad unum cito sanauit,
alijs morientibus, quo solo boni medici nome assen-
sus, ad nos redijt. Hoc successu motus Villemo-
rus, meus in philosophia praceptor, pertesus totum
se aliter medente, mori, non ueritus est uel exper-
iri in iuene monacho, qui repente sanatus est,
facti nouitate consanguinei (ut erat nobili familia)
perciti, senes quosdam medicos aliter persuasos
conuocant, hi iugulatum hominem pronunciant,
et tanquam deploratum sine remedijs relinquunt,
ac iuxta peragi iubent, ut morituris mos est. Vi-
debitis (dicebant) quamuis maxime sanus uidetur,
sanguinem undique confluentem, momento suffo-
care hominem, ita seruatus est in octauum diem
tanquam in horam moriturus. Tandem lectum
fastidians, ego igitur (inquit) sine morbo moriar?
lectoque sanus exiliit, et medicos irrisit. Hi igitur
cum nubes uideant terrentur, tanquam montibus
in aere uolitantibus, quid si ille obijisset? sed ut ea
res magis assueta indies est, sic magis probatur,
et mi-

¶ minus obtreſtationi atq; inuidiæ patere poteſt.
At ſi numero testimoniorum agendū ſit, non adco
facile ſuperabis, cum mihi duo Hippocrates ¶
Galenus ſuffragium ferant, alij ¶ inter ſe ¶ Ga
leno repugnant, nos ſemper ex brachio affecti la
teris detrahimus. Auenzoar ſemper ex aduerſi,
Rafius in nono ad Almanſorem, ubi corpus ualde
plenum eſt, ex aduerſi lateris brachio alias affecti,
ſed alio loco forte aliter ſentit, ¶ ſibi pugnat.
Auicenna ſine determinatione, primum ex crure
edirecto, deinde ex brachio aduerſi lateris, bis,
prius ex basilica, deinde ex media uel nigra, ¶
poſt aliquot dies ex affecti lateris brachio, tandem
lateri cucurbitas adhibet. Ioannes Meſuæus ut ali
quid adderet, diſtinguit de principio ſiue fluente
materia, ¶ fluxa. Item de plenitudine maiore aut
minore, ¶ de toto aut parte. Quæ diſtinctiones
eſſent pulchræ, ſi ex euidētibus indicationibus ac
ciperentur. Tandem ex omnibus quatuor mem
bris ſanguinē detrahit, ut adeo admirer niſi aliquis
ſuperueniat, qui maioris diſtantiæ gratia ſangui
nem detrahat ægri iuuamento, uel uxori, aut fra
tri, ſerè enim æque iuuabit, ¶ minus nocebit. Er
go quum duo ſuffragia certa habeam ¶ cōueni
entia, tui inter ſe digladiātur oēs, Dices hūc ſic in
tellexiſſe, illū illo modo, ſed ego exiſtimo et hos ¶

Galenum scripsisse, ut intellexerunt, & fecerunt.
Quod autem sic intellexerunt, cum non scripse-
rint, unde rescisti? Per Horoscopum opinor, an
Samuelem excitasti? si nobis ariolandum relique-
runt, inutiles sunt. Quibus enim scripserunt, doctis
qui non indigent, an indoctis qui non intelligent?
Ergo testium fide & numero uincimus. Quia ta-
men barbara quædam consuetudo inoleuit, ut oportet
distinctionibus euadere, distinguo Auicennæ
authoritatem, quoniam de his qui purgantur ca-
uendi morbi gratia uere secant uenam, intellexit
hoc modo, Quædo adest collecta multitudo in cor-
pore, nec est adhuc tempus suspectum, quo sanguis
sursum moueri consuevit ad pleuritidem efficien-
dam, ut in dextro latere, secare expedit uenam cru-
ris aduersi, ut sinistri, & sic intellexit Mesuæus.
Vel iam incipit tempus, quo consuevit sursum mo-
ueri, & incidenda est uena cruris edirecto lateris
morbo obnoxij. Vel iam multa est materia in su-
pernis partibus, nondum tamen uergit dextror-
sum magis quàm sinistrorsum, & tunc incide ue-
nam brachij sinistri oppositi secundum latitudi-
nem, deinde permitte aliquot diebus, & si tunc sen-
tiri dolor in latere dextro incipiat, incide uenam
brachij dextri, sic intellexit Auicenna. Insultabis,
nil tale Auicennam intellexisse, tibi uero licebit
Galenum

Galenum peruersa interpretatione corrumpere,
mihi non licebit Auicennam ex falso ueracem red-
dere. Quasi uero tu esses à secretis unius, non ego
alterius. Ergo quoniam hæc distinctio non placet,
meliorem inueni, cui scio te non repugnaturum. Di-
stinguo, uel enim decreuisti egrotantes magna di-
ligentia interimere, uel longo tempore cum uitæ
discrimine torquere, uel sanguinis missione parū
prodesse, uel manifeste & longe à periculo iuuare,
si hoc ultimum, sequere Galenum bis uenam se-
cundo semper internā, & ab eo latere in quo con-
sistit dolor, ut ipse asserit libro de phlobotomia,
& causam reddit libro quarto, de tuenda ualetu-
dine, ut supra ostendimus, & alijs locis à me citatis.
Si nō uis uenæ sectione satis prodesse, sequere Ra-
sij usum, qui, ut Auerrois scribit, neminem unquā
sanguinis missione sine purgatorio medicamento
potuit à pleuritide liberare. Cuius causam affero,
quod ferè semper uitiosus est sanguis, ergo eius
pars prima uenæ sectione aliò transfertur, secūda
quæ fit euicino, ad pleuritidem retrahitur. Potest
autem aliquando medicamento sufficienter euacu-
ari in phlobotomie uitiosæ subsidium. Si uelis lon-
go tempore torquere, & cum periculo, id est, non
manifeste uel tarde iuuare, sequere Auenzoarem,
qui simul incidi præcipit uenā brachij lateris ad-
uersi,

K 5 uersi,

uersi, prohibēs incidi edirecto, simul scribit se non
putare quòd pleuritis possit integre sanari ante
sexagesimū diem, cū uideamus edirecto secando,
pleroq; primo die sanari, septimo sine periculo
omnibus uitæ officijs fungi. Huic cōsentit hoc Ga
leni dictū, Venæ sectio quæ fit edirecto, plerūq;
manifeste iuuare, at ex opposita manu, uel parū,
uel omnino post tempus, hoc est post sexagesimū
diem. Si demum decreueris interimere ægrum, se
quere Auicennā in sanguine mittendo, & ex eius
præcepto cibi sint lentes cum aceto. Confirmatur
quoniā ad hominem interimendū duplex est in
tentio, naturam prosternere, & morbum augere,
naturam prosternes immodicis euacuationibus,
præsertim optimialimenti copia materiæ nocen
tis, morbum augebis & uehementia siue magnitu
dine accidentiū, & morbi diuturnitate. Quoniam
uero nocentissimus totius corporis humor ac plu
rimus iuxta pleuritidem est, ut in latere dextro in
quo sit pleuritis, optimus in partibus distantiori
bus, ut supra ostensum est, secta cruris dextri ue
na, sanguis euacuabitur, & in eius locum poterit
succedere prauus humor, qui scilicet adhuc in ue
nis fuerit, sed neq; subito neq; adeo ut possit pleu
ritidis incrementum impedire, quoniam elongin
quo, & ideo imbecilliter trahitur. Dolor autem
ē uicino


è uicino & potenter trahit, qui in pleuritide ma-
ximus est. Et ut Galenus ait, nihil est quod pro-
fluuium magis quàm dolor proritet, & phlegmo-
nas augeat, attractus humor ad crus sua prauita-
te paululū boni sanguinis quod relictum fuerat,
corrumpet. Confirmatur authoritate Auicennæ ob
hanc causam prohibentis sanguinis detractionem
(de ea quæ fit per distantiora intelligo) inter in-
itia flegmonarū siue pleuritidis siue aliarū. Quo-
niam (inquit) phlobotomia currere facit humores
& permiscet malū bono. Idem consentit Aristote-
li. Deinde in latere sinistro similiter uirtutē deijci-
es, & reliquū attractione uitiosæ materiæ corrū-
pes, sæpe etiā in eodem loco nouā pleuritidē effi-
cies, secta primū uena basilica, deinde media uel
etiam humerali, ut alimentū capiti detrahas. At
si transferatur pleuritis unde erit mittendus san-
guis, lupum auribus tenebis. Iam igitur partes sæ-
pe omnes quæ multū alimenti conficere alioqui
poterant, & desyderabant, tantam alimenti ino-
piam patiuntur, ut prauum sanguinē attrahāt ab
ægotate particula. Hæc aut copia alimēti offen-
ditur ob morbi magnitudinē & uiciniā, desyder-
rat enim minus alimēti (ut ostēsum est) quàm aliæ
partes, minusq; in officio cōtinere potest, tātō aut
plus abundat quàm aliæ, ut ad ipsas transmittat,
ergo &

ergo & copia & praua qualitate offenditur, alie
praua qualitate & inopia, crescitq; uitiosus hu-
mor in toto corpore. Quia uero paulatim trans-
ferri potest humor ab ægra parte, utpote tractus
uel elonginquo uel non edirecto, & ideo tarde ac
imbecilliter ad impediendum hunc motum, danda
sunt medicamenta frigida aliquot diebus, ut om-
nes consueuerunt inspissantia, sed ut in Auicenna
legitur, etiã inter cibos lentes ex aceto, quod mul-
to efficacius est ad nocendum. Quoniam ut Gale-
nus ait, primo libro, de ratione uictus, in morbis
▷ acutis, commentario uicesimosextimo. Neminem
▷ inuenies mentis compotem, qui lentibus alat ægros
▷ in pleuritide, adeò ut inclinante morbo, quæ certa
▷ spes salutis est, si exhibeas lentes frigidas præpa-
▷ ratas cum aceto, necessario dicaris ægrum intere-
▷ misse. Secūda enim nocte suffocabitur, ut ipse ait,
ambo enim qualitate neruosis partibus, sicut &
aquilo aduersantur, quare & membranæ, in qua
est pleuritis, acetum etiã tenuitate substantiæ &
acrimonia penetrabit, deferetq; uim lenticularum,
irritabitq; uehementer phlegmonem, unde subse-
quetur necessario tussis, & dolor, maior etiam q̄
in alijs partibus neruosis, cum nimium phlegmo-
nes offendat, sed ob frigiditatem, & siccitatem,
& crassiciam substantiæ lenticularum, nihil ex-
purgabi-

purgabitur. Erit igitur multa tussis sicca, motu do-
lorem, & ideo defluxionem plurimā mouens, &
difficultatem spirandi, & proinde calorē, sic mor-
bus augetur, et materia affigetur infarciaturq;
ubi cessauerit defluxio, quum natura solum robur
ad excretionem desyderat, eam poteris sine utilita-
te prosternere, secta dextri brachij uena, bonus
enim sanguis si quis restat, euacuabitur, uitiosus
iam in phlegmone affixus, subsequi non poterit
sed in partes euacuatas, uitiosus sanguis à reliquis
corporis partibus pleuritidem uersus decurret, si
minus robustus æger apparuerit, secunda est etiam
sinistri cruris uena, ut tantillum boni sanguinis de-
trahatur, si hæc non suffecerint ad interimendum,
proximum esse puto ad pugionem recurrere. Dices
de lenticulis, esse uitiū scriptoris. Credo equidem,
ergo hæc abradantur, simulq; ea quæ illic de phlo-
botomia scribuntur, utpote tanto uiro indigna, uel
utrobiq; adde negationem, attamen in eo, ut in ag-
gregatoribus solet. Ego contra, in pleuritide dex-
tra, internam cubiti dextri uenam seco, bis eodem
die si æger patitur, qua nocentissimū corporis hu-
morem, qui defluxionis causa erat, educo, sed à
phlegmone reuellendo ualide, ac celeriter, simulq;
totum corpus euacuo, plus tamen à partibus phleg-
mone uicinis, Tum crurum ac sinistri brachij, uin-
culis, &

culis, & frictionibus, quandoq; alijs, ut acurbitis,
scarificationibus, aut uenæ sectione, humorum mor-
lem conuerto ad distantissima, tractibus caloris,
dolorisq; obsistens, simulq; refrigerantibus humi-
disq; citra adstrictionem spissantibus, quæ sensus
acrimoniam leuiter obtundant, neq; humorem tra-
hi, neq; tractum fluere, ob spissitudinē per-
mitto. Sic dolore & calore mitigato,
spuitiones humidis extenu-
antibus feliciter pro-
mouco.

FINIS.



Digito compesce labellum.

Dixisse aliquando penituit, tacuisse nunquam.



πᾶς λόγος σαρκὸς ἐν τῷ σώματι ὁ ὑμῶν καὶ
ἐκρηρευέτω.

עת לחשות ועת לדבר


Basilæ. In ædibus
Thomæ VVolfij.

M. D. XXIX.

Uli 2463

(X2203547)

Uli





Ms. 1672. 11. Octob. 7

PETRI BRIS

SOTI, DOCTORIS PARISIEN-
sis medici philosophiq; prestantissimi apo-
logetica disceptatio, qua docetur,
per quæ loca sanguis mitti
debeat in uiscerum in-
flammationibus,
presertim in
pleuriti-
de.

Secretum est et à surgerentibus

BASILEAE. IN AEDIBVS
THOMAE VVOLFFII.

AN. M. D. XXIX.

